

Aphthonius <Antiochenus>


Aphthonii declamatoris praeexercitamenta numero quatuordecim : fabula,  
narratio, chria, sententia, confutatio, confirmatio, locis communis,  
laudatio, vituperatio, comparatio, ethopaeia, descriptio, thesis,  
legislatio ; una cum adiuncto rhetoricae ad Herennium compendio

[Neiße?] 1578

A.lat.b. 2310 f#Beibd.1

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10996342-3

VD16 ZV 657



APHTHONII  
DECLAMATORIS  
PRÆEXERCITAMENTA,  
NUMERO QUATVORDECIM:  
Fabula, Narratio, Chria, Sententia,  
Confutatio, Confirmatio, Locus  
communis, Laudatio, Vitu-  
peratio, Comparatio, Etho-  
pæia, Descriptio, Thesis,  
Legislatio.

\*

VNA CVM ADIVNCTO  
Rhetoricæ ad Herennium  
compendio,



IN VSVM SCHOLÆ  
Niffensis excusa, Anno

---

M. D. LXXVIII.

# HUMANITATIS AC POLITIORIS LITERATURÆ studiosis adolescentibus in Gymnasio Nisseno. S.

**F**abius Quintilianus optimus iuventutis forma-  
tor, optimusq; eloquentiæ Magister præcipit, ut  
dilata paulisper arte Rhetorica, adolescentes in  
minoribus dicendi operibus (quas ille primas exercita-  
tiones lib. 2. cap. 4. suarum institutionum uocat) exer-  
ceantur prius, quàm ad magnum illud declamationum  
opus perducantur. Quod sanè tanti viri consilium etiam  
nobis non improbatur, proptereaq; nunc Aphthonij  
peruetusti & exercitatissimi Rhetoris progymnasmata,  
studio aliquot doctissimorum virorum, superioribus  
annis, latinitate donata, atq; edita recudere, ac Rhetorice  
Herennianæ Compendio præmittere voluimus:  
eum quod alibi editis exemplaribus plurimum destitua-  
mur, tum quod in illis eruditè admodum & perspicuè  
nec non breuiter illa, quæ minora exercendi stili opera  
dicta sunt, & præceptis & exemplis edoceantur. Tum  
etiam quod certò nobis persuasum habeamus, vos, si hoc  
primo Rhetoricorum exercitiorum genere vestros ani-  
mos ritè excolueritis, optima deinde ratione, tutissimoq;  
tramite ad diuinam illam & Christiano homine dignis-  
simam, Augustini Valerij Episcopi Veronensis, Rhetoricam  
Ecclesiasticam, esse progressuros.

M. C. K.

APHTHONII SO-  
PHISTÆ PROGY-  
MNASMATA.

DE FABVLA.

FABVLA processit illa quidem à  
poëtis, sed cum oratoribus commu-  
nicata est ex eo, quod præceptum com-  
plectitur. Est autem fabula ficta seu  
falsa oratio siue narratio, imaginem ex-  
primens veritatis. Hæc vocatur Syba-  
ritica, Cilissa, Cypria, mutans nomen  
secundum inuentores. Dicitur tamen  
potissimum Æsopica, eò quod Æsopus  
inter omnes optimè fabulas conscripse-  
rit. Fabularum genus vnum est de ra-  
tione præditis, Alterum morale. Ter-  
tium mistum. In primo fingitur aliquid  
fieri ab homine. In secundo est imitatio  
naturæ & ingenij animalium brutorum.  
Tertium ambo illa de præditis ratione  
& brutis animalibus miscet. Præce-  
ptum vero, cuius gratia locum inuenit  
Fabula, si præponas, nominabis præ-  
positum

## PROGYMNAS.

positum fabulæ, id enim significat Pro-  
mythium: Si postponas Epimythium,  
hoc est, præceptum fabulæ subiectum.

## FABVLA FORMICARVM & Cicadarum cohortans iuuen- tutem ad labores.

**VIGEBAT** æstas, Et cicadæ quidem in  
Musicen ac cantus intentæ, formicis vero cordi erat  
elaborare colligendis frugibus, quibus alerentur hye-  
mis tempore. Cumq; hyems aduenisset, formicæ tunc  
labore partis alebantur. Sed cicadarum voluptas in  
egestate desinebat. Ita iuuentus laborem fugiens, in  
senectute malis conflictatur.

## DEFINITIO NARRA- tiunculæ.

**NARRATIVNCVLA** est exposi-  
tio actionis seu negotij gesti, aut tan-  
quam gesti. Inter hanc & narrationem  
oratorum idem discrimen est, quod inter  
poësin & poëma. Poësis enim est Ilias  
tota, Poëma autem pars aliqua huius,  
vt fabrica armorum Achillis, Narrati-  
tiuncula

## APHTHONIL

tiuncula tria habet genera. Vnum est actuosum seu histrionicum, alterum historicum, tertium ciuile. In actiuo omnia sunt ficta. Historicum antiquam narrationem habet. Ciuile autem est, quo oratores vtuntur in caussarum actionib. contendentes in iudicijs. In narratiuncula cernuntur quasi comitantia numero VI. Persona, Qui est autor actionis seu negotij. Actio seu negotium gestum. Tempus, quando. Locus, vbi. Modus, quo pacto. Causa, cur. Virtus seu laus Narratiunculæ quadruplex est. Vt sit perspicua, vt concisa, vt probabilis, vt verbis Latina.

## EXEMPLVM NARRATIONIS

historicæ, ex Orosij lib. 2. cap. 8.

**CYRVS** Persarum Rex Scythis bellum intulit, quem Tomyris Regina, quæ tunc genti præerat, cum prohibere transitum Araxis fluminis posset, transire permisit, primùm propter fiduciam sui, deinceps propter opportunitatem ex obiectu fluminis hostis inclusit. Cyrus itaq; Scythiam ingressus, procul & transmissis  
A iij flumine

*Az*  
*Armenia*  
PROGYMNAS.

flumine castrametatus, insuper astu eadem instructa uino, epulisq; , deseruit, quasi territus refugisset. Hoc comperto Regina tertiam partem copiarum, & filium adolescentulum, ad persequendum Cyrum mittit. Barbari ueluti ad epulas inuitati, primùm ebrietate uincuntur, mox reuertente Cyro uniuersi cum adolescente obtruncantur. Tomyris exercitu ac filio omisso, uel matris, uel Reginae dolorem sanguine hostium diluere promptius, quàm suis lachrymis parat. Simulat diffidentiam iam desperatione cladis illatae, paulatimq; cecidendo superbum hostem in insidias uocat. Ibi quoque compositis inter montes instans CC. M. Persarum, cum ipso Rege deleuit, abiecta super omnia illius rei admiratione, quòd nec nuncius quidem tantæ cladis superfuit. Regina caput Cyri amputari, atq; in utrem humano sanguine oppletum conijci iubet, non muliebriter increpitans: Satis te sanguine, quem sitisti, cuius per annos triginta insatiabilis perseuerasti,

DEFINITIO CHRIAE.

CHRIA est memorabilis recitatio breuiter collata appositè in personam quampiam. Quod autem multiplex huius usus sit, ex eo nomen Chria inuenit. Genus Chriae vnum est orationis, alterum actionis, tertium mistum. Orationis

## APHTHONII.

tionis est, quod dicto aliquo ostendit vtilitatem suam. Vt: Plato dicere solebat frondes virtutis enasci de sudore & laboribus. Actionis, quo aliquid actū explicatur, vt: Pythagoras interrogatus, quam longum esset spacium vitæ humanæ, paulisper conspiciendum sese cum exhibuisset, ita mox occultauit. Illoq; spectaculo ostendit mensuram vitæ. Mistum genus est, quod vtroq; altero constat, tam orationis quam actionis. Vt: Diogenes conspecto adolescente petulante verberauit pædagogum, & ista ne enim, disciplina tua est? inquit. Atque hæc est Chriæ diuisio. Elaborare autem eam capitibus istis poteris: Laudationum, enarrationis, causæ, contrariorum, collationis, exempli, testimonij antiquorum, conclusione breui.

## CHRIA ORATIONIS seu Dicti.

*ISOCRATES discipline seu liberalis institutionis radicem amaram, fructus dulces esse dixit.*

## PROGYMNAS.

**LAVDATIO.** Aequum est admirari nos Isoeram  
 rem ipsius artis gratia, cui ille nomen clarissimum con-  
 ciliavit, & exercendo, quanta ea esset demonstravit.  
 Atq; ipse præco artis est, non hanc præconem sui ade-  
 ptus. ~~Sane longum esset edisserere beneficia ab hoc in~~  
 hominum uitam collata, siue legibus scribendis quibus  
 uterentur reges, seu præceptis instruendo singulos. De  
 disciplina uero seu liberali institutione, quam præcla-  
 rum est dictum sapientiæ ipsius? **ENARRATIO.**  
 Qui disciplinæ est amator, principium habet ille qui-  
 dem labores, sed hos tamen eiusmodi, qui in emolumento  
 desinant. Atq; hoc studium sapientiæ Isocratæ protu-  
 lit, quæ deinceps admirando explicabimus. **CAVS-**  
**SAE CAPVT.** Amatores enim disciplinæ ita  
 iudicantur, ut respiciatur ad horum magistros & du-  
 ctos. Ad quos accessio cum formidolosa sit, tum est  
 desertio imperitæ stultitiæ plenissima. Metu pertur-  
 bantur pueri perpetuo tam præsentibus apud magistros,  
 quam ad eos accessuri. Magistris succedunt pædagogus,  
 ( qui comites sunt & custodes puerorum ) Terribilis  
 istorum est conspectus, sed magis terribilia sunt uerba.  
 Anteuertit experimentum timor, & excipit timorem  
 castigatio. Iam si peccatum est, à pueris illi poenam  
 exigunt. Suo autem sibi iudicio recte facta attribuunt.  
 Sequuntur pædagogos patres illis magis etiam sæui.  
 Vbi prodeundo uersatus aliquis sit, exquirunt. Et con-  
 gunt exire eos domo, cum forum habeant suspectum.  
 Vbi etiam castigatione opus, ibi naturæ sunt immemores.  
Sed

## APHTHONII.

Sed inter ista puer si procedat ad aetatem uirilem, ita  
 uirtutis ornatur corona. **E CONTRARIO.**  
 Quod si quis haec reformidans, & a magistris abhor-  
 reat, & a parentibus aufugiat, & auerfetur pedago-  
 gos, ei carendum est omni doctrinae eruditione, & in  
 hac formidine illa eripitur uniuersa. Ista omnia animo  
 hoc Isocratis persuaserunt, ut amarum perhiberet di-  
 sciplinae radicem. **COLLATIO.** Quemadmo-  
 dum enim qui terram opere faciendo colunt, per labo-  
 rem illi quidem arua conserunt, sed iucunda eisdem est  
 frugum perceptio: Eodem modo qui disciplinam ap-  
 petunt, ij gloriam secuturi temporis labore acquirunt,  
**EXEMPLVM.** Intueatur aliquis mihi in Demo-  
 sthenis uitam. Oratorum haec omnium fuit laboriosis-  
 sima, sed omnium etiam laude praestantissima. Tam  
 enim abundans in ipso studium fuit, ut capitis quoque  
 ornatum demeret, & maximum ornatum duceret eum,  
 qui a uirtute contingeret. Itaque impendit ille laborib.  
 ea, quae caeteri uoluptatibus absumunt. **TESTI-  
 MONIUM ANTIQVORVM.** Quapro-  
 pter dignus est admiratione Hesiodus, qui uirtutis iter  
 asperum esse dixit, sed uerticem illius expeditum. Quae  
 sapientis studij sententia & haec Isocratea eadem est.  
 Quod enim iter pronuntiat Hesiodus, eam radicem  
 uocauit Isocrates, unum ambo sensum diuersis nominib.  
 declarantes. **CONCLUSIO.** Ad haec respici-  
 entes par est admirari Isocratem, ut eum, qui de Disci-  
 plina praclarissimum dictum ex studio sapientiae suae  
 protulerit,

# PROGYMNAS.

## DEFENITIO GNOMES.

**GNOME**, id est, sententia, est oratio summatim demonstrando seu pronuntiando ad aliquid cohortans, aut alicunde dehortans. Huius formæ sunt, vna cohortationis, altera dehortationis, tertia pronuntiationis. Est etiam quædam simplex, quædam copulata. Itemque alia probabilis, alia vera, alia in eo quod nimium dicitur.

Cohortantis exemplum est versus, qui monet debere nos amanter hospitem  
*Præsentem amplecti, & dimittere abire uolentem.*

Dehortantis alter: Quo dicitur non oportere eum, qui consilijs regere alios debeat, totam noctem somno indulgere.

Pronuntiatio est talis: Sane opus est pecunijs, & absque his nihil effici potest omnium quibus vsus eget. Simplex est: *Optimum id auspiciū est, patriam defendere, solum.*

Copulata:

*Vtile multorum non est regnum, unus habeto.*

Probabilis: Eiusmodi esse vnumque  
quonque

## APHTHONII.

quoniam, cuiusmodi non sunt, quorum consuetudine utitur.

Vera ista: Non posse ullum vitæ genus inueniri quod sit expers molestiæ.

Eius quod nimium dicitur exemplum est versus hic:

*Nil tellus homine imbecillius educat alma.*

Atque est ista quidem diuisio Gnomes, Elaboratio autem huius habebit capita eadem quæ Chria, Laudationem, enarrationem, causam, contrarium, collationem, testimonium antiquitatis, conclusionem breuem. Inter Gnomem autem & Chriam hoc interest, quod Chria interdum actionem complectitur, Gnome autem in sola oratione versatur, quodque Chria requirit personam, Gnome vero absque persona profertur.

## GNOME COHORTATIONIS.

*Dum paupertatem fugias, te Cyrne & in undas*

*Aequoris & rupis per iuga præcipita,*

*Non permittit Theognis accusari poetice, dum pro fabulis bene præcipiendo eam exercet. Cum cerneret*

*enim*



## APHTHONII.

uide. Erat hic patria Ithacus, sed nequaquam eadem potestas eius & cæterorum ciuium. Immo tantum in eo egestas potuit, ut in paupertate mutaretur appellatio. Cum initio enim iam uocatus fuisset Arneus, nomen ipsius in Iri conuersum est, impositum à ministrando. Quid de Iro autem dicere opus est? Ipse Vlysses Ithaces dominus, dum suam ingressus terram paupertatis personam induit, particeps malorum quoque paupertatis esse coepit, cum domi suæ & iactus exciperet, & ancillarum petulantem exagitationem perferret. Usque adeo grauis est etiam paupertatis opinio. **TESTIMONIUM ANTIQVITATIS.** Quapropter non possum non admirari Euripidem, qui & malum atque miserum esse dixit nihil habere, & à præstantia generis non posse mutari paupertatem. **CONCLUSIO.** Quis igitur satis admirari, pro eo acmeretur, possit Theognidem? cum talia protulit de paupertate studio sapientiæ suæ.

## DEFINITIO CONFV

tationis.

**CONFVTATIO** est rei propositæ alicuius euersio. Confutanda autem sunt neque prorsus euidentia, neque ea quæ fieri omnino nequeunt, sed quæ inter hæc media collocantur, Qui confutare aliquid

## PROGYMNAS.

quid vult, eum primum commemorare oportet, quo auctores narrationis illius infamentur, & deinde adiungere rei negotiue expositionem, & vti istis capitibus: Primum obscuritatis, & quod abhorreant dicta illa à vero, & præterea, quod fieri geriue non potuerint. Itemq; expositionis dissidentis & indecoræ. Atque ita tandem addere, quod dissentanea illa sint & inepta. Hoc progymnasma tractatu suo omne artis ipsius robur compræhendit.

CONFUTATIO TRADITORUM de ea quam Daphnen vocarunt, vt minimè probabilem.

INFAMATI AUCTORES. Dicere contra poëtas rationi quidem consentaneum non est: Verum ipsi tamen, ut contra se dicatur, causam dant, qui priores istiusmodi fabulas de dijs confingunt. Quomodo autem non carere ratione uideatur, cum poëtae nullum habeant deorum respectum, nos respectu moueri poëtarum? Sane ego quemcumq; deorum contumelia affici ægrè tulerim, sed Apollinem in primis, quem ducem & antistitem suæ illi artis faciunt. Videamus enim

## APHTHONII.

enim quæ Apollinis & Daphnes ab illis conficta fabula sit. **EXPOSITIO.** Daphne, inquit fabula, è tellure prodiit & Ladone. Cumq; plerisq; cæteris forma præstaret, amatorem inuenit Apollinem. At hic amator insequendo ille quidem eam urgebat, sed non poterat ipsa assequendo potiri. Tellus uero recepta ad se puella, eiusdem nominis, quod illa habuerat, frondem produxit, & mutatam puellam Apollo fertum esse uoluit. Estq; stirps ista fertum cortinæ Pythiæ, propositum amoris gratia erga mortalem puellam. Et artis illius planta hæc est indicium & significatio. Atq; fabulæ commentum istud est. Cuius reprehensionem ex sequentibus licet sumamus. **EX OBSCURITATE.** Daphne è tellure prodiit & Ladone. Quænam generis istius illi fides? Ipsa enim certe humanam naturam participante, tellus atq; Ladon alterius diuersæ compotes sunt. Quæ coniunctio uero Ladonis cum tellure aquis eam inundantis? Ita enim omnes scilicet fluuij telluris mariti nominabuntur, nam omnes illam inundant. Quod si procreauit humanam sobolem fluuius, fieri itidem potest, ut ex homine fluuius procreetur. Successiones enim generis autores demonstrant. Nuptias uero quopactò nominant fluuij ac telluris? Sensibus præditorum ista est celebritas, cum telluris natura sensus expers sit. Aut igitur Daphnem in riuorum numerum reponemus, aut inter homines referemus Ladonem. **QVOD RES ISTA FIERI NON POTVERIT.** Verum enim uero  
si quis

## PROGYMNAS.

Si quis concedat poëtis natam esse Daphnen tellure & Ladone, partu puella iam edita, quibusnam tribuetur nutrimentum & educatio puellæ? Itaq; concessa sane procreatione, mox apparebit fieri non potuisse ut ea aleretur. Vbi enim puella uersata fuit degendo? Apud genitorem nimirum. Quis uero omnium hominum durauerit in fluuio uitam degendo? Citius pater priusquam animaduertisset, suffocaret in undis, quam nutriet fluentis filiam. At enim uitam ægit puella apud matrem sub terra. Delituit igitur illa, & occultatam nemo conspexit. Cuius autem abscondita fuit forma, eius cupido originem non admittit. **AB INDECORO.** Concedamus, si uidetur, istud quoq; poëtis. Qui uero dei amores esse potuerunt? Nisi cupiditas falsam fictamq; naturam indicauit. Est omnium rerum res grauissima amor. Dijs autem affirmando tribuere ea, quæ atrocissima sunt, impietas est. Nam si perturbationes omnes cadunt in deos, quid ab hominibus illi different? Sin & acerrimam affectionem amoris perpetuantur, quodnam inter eos perferentes quæ sunt grauissima, & hominum uulgus discrimen fuerit? At enim neque natura affectionem istam agnoscit, neque Pythius amatorem se esse ostendit. **DISSIDENS.** Insequendo autem ugens puellam Pythius, secundus ab illa mortali relictus est? Præstant uiri mulieribus, & iam mulieres dijs priores adipiscuntur? Qui sexus inter mortales inferior est, quo pacto dijs extitit superior? Cur autem recepit mater fugientem? Nuptiæ scilicet

res male

## APHTHONII.

res mala sunt. Quare ergo ipsa mater? Immo nuptiæ res sunt bona. Cur igitur bonis illa priuat filiam suam? Vel mater igitur non erat, uel si mater, improba merito habetur. **DISSENTANEVM.** Annè uero repugnabat tellus operibus ipsa suis? Aegritudinis causam dabat Pythio conseruans, & contrabilaritatis atque delectationis producens. Non oportuit hanc delectare animum eius, quem tristitia uellet afficere. Quid sibi autem uult sertum? Stirps ista applicatur cortinæ. Est ergo signum uoluptatis ista planta, sed argumentum exhibent ueritatis oracula. Quo pacto igitur Pythius ea connexuit? quæ natura non patitur misceri. Quale uero hoc? quod mortale pretenditur, cum immortalis sit affectio. Sed finis esto mentionis poetarum, ne elocutio etiam mea poetica uideatur.

## DEFINITIO ASSERTIONIS.

**ASSERTIO** est rei alicuius propositæ confirmatio. **Asserenda** autem sunt neque prorsus plana atque manifesta, neque omnino eiusmodi ut fieri non potuerint, sed inter hæc interiecta media. **Asserendo** autem utemur contrarijs confutationi,

**B**

futationi,

## PROGYMNASIS

futationi. Atque primum laudibus celebrare autorem rei commemoratae: Deinde vicissim expositionem opponere oportebit, & capitibus deinceps vti contrarijs. Pro obscuris, afferendo perspicua, probabilia pro abhorrentibus à vero, potuisse fieri, pro eo, quod fieri non potuisse videatur. Non dissidere, quod dissidere dictum sit, sed esse consequens. Itemq; decorum pro indecoro, consentaneum pro dissentaneo & inepto. Haec exercitatio, robur complectitur artis vniuersum.

## ASSERTIO TRADITORVM

de ea quam Daphnen vocarunt,  
quod probabilia ea sint.

**LAVDATI AVTORES.** Contra poetas qui dicit, is contra Musas ipsas dicere mihi videtur. Si enim quae poetae pronuntiant, ea de Musarum illae sententia exequuntur: Quo pacto non dicet contra Musas ipsas, quicumq; poetis querit obrectare? Ego quidem poetarum omnium approbo sententiam, sed eius imprimis qui de amoribus Daphnes & Apollinis sapiente sua

## APHTHONII

ente studio narrationem composuit. Quibus enim ab hoc dictis fides non habetur? Daphne, inquit, teiluro prodiit & Ladone, &c. **EXPOSITIO PERSPICUITATIS.** Quid est, obsecro, in his incredibile? Nunquid omnia habent originem ex terra & aqua? Nunquid elementa semen uitæ præbent? Quod si omnia orta prodierunt è terra & aqua, confirmat nimirum Daphne communem omnium procreationem, progressam ex terra & aqua, Atq; ea, quæ inde extitisset, unde enascuntur cuncta, facie præstitit cæteris. Perquam probabiliter hoc dicitur. Quæ enim primum è terra producuntur, ea una cum naturæ suæ pulcritudine exeunt. Multæ etenim in corporibus spectatæ formositatis mutationes accidere. Id autem quod primo ortu suo apparuit, omnium scilicet esse formosissimum solet. Credibile est igitur, Daphnen specie formosissimamq; excelluisse, quæ prima ex alijs esset terræ soboles. **PROBABILE.** Cum ergo facie esset eximia Daphne, captus est amore puella istius Apollo. Probabiliter & hoc admodum. Quicquid enim pulcritudine præditum in terra uersatur, id diuinam habet originem. Quod si pulcritudo felicitate potior est cæteris terrenis bonis, eius nimirum pulcritudo amatorem habuit deum, cuius hoc esset donum diuinum: Quæcunque enim dii largiuntur, ea diligunt & cara habent uniuersi. **FOETUISSE ISTA FIERI.** Deus uero amator consilium cepit medendi morbo suo. Istius enim modi sunt uirtutes: Parari ita uolunt, ut his offeratur.

## PROGYMNAS.

Neque fieri compotem uirtutis licet absque laboribus. Itaque laborabat cupiditate Apollo, & non potiebatur eo quod cupiebat. Non enim conspici potest finis & terminus uirtutis. Vnde Pythium non tellurem amare perhibent. Haud deorum naturam coarguentes, sed naturam habere ad uirtutem rationis aliquid demonstrantes. Atque quod urgetur in fuga, id designat & proponit formam urgentis insequendo. **EX CONSEQUENTE.** Cum fugeret autem filia, recepit hanc mater. Mortalia enim cuncta talem sortita sunt naturam, ut unde prodiere, eo reuerti properent. Itaque Daphne ad tellurem se confert, quæ tellure prodierat. **A DECORO** Tellus uero uirgine illa recepta, uicissim stirpem produxit. Ambo enim opera hæc terre sunt: & homines ad hanc cadendo deferuntur, & ex ea arbores enascuntur. **A CONSENTANEO.** Frondes etiam istæ conspectæ, causam dederunt honoris, qui haberetur Apollini. Nam Diuine stirpes quidem relinquunt exclusas prouidentia sua. Atque his adeo enascentibus coronantur. Primitiæ enim terræ dijs offerri solent. Laurus autem uaticinationis signum atque nota extitit. Quod ipsum quoque, ut opinor, conuenit. Nam & sacerdotem Sopbronem appellant, & oraculorum responsa de Sophrona procedunt. Itaque hætenus puella ista uirtutibus consecratur, quatenus ignara fuit uoluptatis. Qui enim impotentia & luxurie morbo laboraret, is euentus futuros nequaquam posset prospicere. Ob hæc equidem poëtas admiror, & carminum ueneror gratia.

DEFI

# APHTHONII.

## DEFINITIO LOCI

### Communis.

LOCVS communis oratio est au-  
gens ea, quæ in aliquo sunt bona aut  
mala. Ita autem appellatur, quod com-  
muniter ad omnes idem negotium par-  
ticipantes quadret. Nam oratio quæ  
habetur aduersus proditorem, quadrat  
communiter in participes actionis illius  
vniuersos. Habet autem rationem se-  
cundarum partium & Epilogi, quæ est  
peroratio. Et eam ob rem communis  
locus proœmio, id est, exordio caret.  
Sed fingimus proœmij figuram excer-  
cendæ iuuentutis gratia. Post quod ca-  
pita pones: Primum è contrario. Huic  
addes expositionem, non vt doceas au-  
ditorem, est enim res nota, sed vt com-  
moueas. Tum deinde Comparationem  
addes, complectendo per applicatio-  
nem maius, quod reo proffit. Mox vo-  
luntatem, (quo nomine certum quoda-  
dam caput appellatur) sententiam eius.

B iij

qui

## PROGYMNAS.

qui aliquid egit culpando. Ad hæc ad-  
iunges Egressionem, per coniecturas ob-  
trectando vitæ præteritæ. Et mox mis-  
ericordiam explicabis, Et tandem ad-  
ñcies vltima atque perfecta capita pro-  
gymnasmatibus: Legitimum, iustum, v-  
tile, fieri potuisse aut posse, laudabile &  
honestum, euentum.

## LOCVS COMMVNIS IN Tyrannum.

### PROOEMIUM I.

**C**VM sint leges & iudicia constituta in nostrâ  
ciuitate, pœnam debet subire legibus is, qui perfecit ne-  
leges omnino essent reliquæ. Nam si isto iudicio abso-  
lutus popularis hic magis fore uideretur. poterat sane eî  
aliquis pœnam remittere. Quia uero in præsentia ela-  
psi uis & iniuria grauior futura est, quopactò equum  
fuerit, hac uenia principatum dominationis fundari.

**PROOEMIUM II.** Atque alijs cunctis, quâ  
forte iudices ducti sunt, nihil impendet detrimenti de ab-  
solutione reorum, At tyrannidos (quæ iniusta domina-  
tio est) permissio, damnum inferet ipsis iudicibus. Nam  
ne iudicandi quidem potestas relinquatur, si tyrannus  
rerum potiatur.

**E CONTRARIO.** Vide-

mini autem

## APHTHONII.

mini autem mihi istius uoluntatem certius perspexerunt esse, si maiorum nostrorum rationes consideretis, & quam præclarum hoc opus illorum sit, quod instituerunt gubernationis formam ab unius potentia remotam. In quo quæ eorum iusticia cernitur? Quia enim aliæ alias fortunæ hominibus accidunt, quibus uoluntates horum mutantur, inæqualitatem illi fortunæ legum æqualitate corrigentes, eas sanxerunt leges, quibus omnium una efficeretur uoluntas atque sententia. Atque est scilicet ciuitatibus lex, correctio eorum malorum, quorum causas dant fortuiti casus. **EXPOSITIO.** Horum nihil ille animo uersans, consilium cepit perniciosissimum, legitimum statum ciuitatis conuellendi. Atque ita scilicet ipse secum: Quæ ista, dii immortales, res est? Egone cum in oculis multitudinis sim, feram proorsus esse æqualem conditionem meam aliorum conditioni? frustra ne igitur tam ambitiosum fortunæ studium in me locupletando susceptum esse sinam? Et cœtus iam pauperum iudicium de me faciet. Et quod uulgus sciuit, id in me legis sancitæ habebit potestatem? Quænam ergo libertas ostenditur? Arcem occupabo, & istud perditissimarum legum impedimentum amouebo. Et ita ipse ego, qua uulgus teneatur, lex ero, non illi, qua ego. Huiusmodi differens ipse secum, finem incepto non imposuit. Obstitt enim prohibendo benignitas diuina. Propter quæ igitur gratia à nobis debetur Deo, ea nequaquam isti hodie ad salutem prodesse oportet. **COMPARATIO.** Atrox facinus

## PROGYMNAS.

est homicidæ, sed superat istud tyranni. Ille enim unius quem obuiam habuit cæde polluitur. At hic uniuersam ciuitatis fortunam euertit. Quanto igitur modica offensio inferior est sceditate cædis omnium, tanto leuius est delictum homicidæ quam tyranni. **DE SENTENTIA.** Comes est mortalibus cæteris uiuuis studium in atrocissimis quoque sceleribus, uoluntatis saltem è facinore eximendæ, Solus autem tyrannus audaciam suam non esse uoluntariam, dicere nequit. Si enim inuitus ad dominationem & opprimendam libertatem accessisset, poterat fortasse aliquis culpam illi uoluntatis remittere. Quia uero consulto patrauit facinus: qui locus iusticiæ relinquetur, si is eripiatur poenæ, qui sua sententia atque uoluntate factum ipsum auertit? **EGRESSIO.** Cæteri sane mortales omnes, qui in ius apud nos uocantur, de presentibus modo criminibus causam dicere coguntur, & sæpenumero anteactæ uitæ respectu absoluntur. In isto solo autem iudicium de utroque tempore faciendum est. Nam & superior ætas moderationis laude caret, & presentia præteritis sunt grauiora. Quapropter poenam persoluat utrorumq; nomine, quibus & olim & postea tristitia nos affecit. **MISERICORDIAE EXPLICATIONO.** Quinam uero deprecando istum poterunt liberare: Liberi nimirum ipsius. Vos autem cum bi lamentabuntur, tunc astare coram uobis ipsas leges arbitramini. Pro quibus multo scilicet æquius est sententiam ferre quam pro liberis istius. Nam per  
huius

## APHTHONII.

*Buius liberos iniusta dominatio confirmabitur, per leges autem iudicandi uobis contigit potestas. Et ideo æquius est pro illis suffragium uos ferre, per quas iudices uos estis constituti. LEGITIMVM. Quod si lex iubet honorem habere patriæ liberatoribus, reliquum scilicet est, ut seruitutem parantes supplicio afficiantur. IUSTVM. Est autem iustum, apud uos tantam hunc pœnam sustinere, quantam ipsius facinus meritum est. VTILE. Proderit autem ruina tyranni, hæc enim id præstabit, ut leges consistant. FIERI POSSE. Facile autem est de isto hoc tempore supplicium sumere. Non enim ut ipsi satellitibus opus fuit ad inuadendam dominationem, sic nobis ad tyrannum euertendum auxilijs atque socijs opus futurum est, cum iudicum sententiæ satis potentiæ sint habituræ ad totas uires tyrannidis destruendas.*

## DEFINITIO ENCOMII.

*ENCOMIUM (quam laudationem interpretamur) est oratio qua exponitur, quod in aliquo boni inest. Facto nomine ex eo, quod in comis olim decantaretur. Vocarunt autem comes eos, qui sunt vici & angiporta. Inter Encomium, hymnum & prædicationem hoc*

B v

inters

PROGYMNAS.

interest, quod hymnus deorum sit, laudatio autem mortalium. Quodq; prædicatio breuiter absoluat, laudatio autem explicetur artificiose. Laudari autem debent personæ, res, tempora, loca, animalia bruta, & præterea stirpes. Personæ, vt Thucidides, Demosthenes. Res, vt iustitia, temperantia. Tempora, vt ver, æstas. Loca, vt portus, horti. Animalia bruta, vt equus, bos. Stirpes, vt Olea, vitis. Erunt laudationes & communes & singulares. Communes, vt Atheniensium vniuersorum: Singulares, vt vnius ciuis Attici. Atq; hæc est Encomij diuisio. Elaborari autem poterit his capitibus. Proœmium ad argumentum ipsum accommodabitur. Postea genus ponetur, idq; distribuetur gente, patria, maioribus, parentibus. Sequetur educatio distributa in studia, artem, leges. Deinde præcipuum caput Encomiorum actiones adiunges. Harum distributio est, Animo, corpore, fortuna.

Animo,

## APHTHONII.

Animo, vt mentione fortitudinis, aut prudentiæ. Corpore, vt formæ, celeritatis, roboris. Fortuna, vt potestatis, diuitiarum, amicorum. Cum his comparationem, maiora applicando ei, qui laudatur, complecteris, & ita Epilogum, id est, conclusionem adñcies, quæ voti potissimum similitudinem habeat.

## ENCOMIUM THUCYDIDIS.

### PRO OEMIUM.

**I**NVENTORES rerum utilium honore affici æquum est ex ijs, quæ præclarissima ipsi pepererunt, quodq; ab ipsis prolatum est in lucem, id decet offerendo retribuere eis, qui exhibuerunt. ~~Quapropter Thucydidem orationis laudibus celebrabo, in proposito habendi honorem illi ex proprijs ipsius bonis.~~ Ac honestum quidem est honorari omnes beneficiorum autores, sed eo magis Thucydidem, quo omnium est inuentum illius pulcerrimum. Nam in cunctis rebus nihil oratione melius depræhendi, & Thucydide sapientior, quod ad facultatem attinet orationis, reperiri nemo poterit. **GENVS.** Atq; prodijt ex ea terra Thucydides, quæ & vitam illi & artificium largita est.

Non

## PROGYMNAS.

Non aliam enim hic, sed eandem originem habuit, quam orationis facultas atque copia. Et uita matrem nactus est Athenas, in suis maioribus complexus regium nomen. Et ex superiore genere, fortunæ ipsius maior prodijt potentia. Et coniunctis ambobus his, robore generis & populari ciuitate, ad mutuam utriusq; correctionem, ab utroque adiumenta fuere collata. Cum diuitias ipse haud male partas corrigeret æqualitate oris liberi, & ciuilem egestatem generis fœlicitate occultaret. **EDUCATIO.** Atque tali ortu spectatus, in Republica & inter leges ille educatur, qui alijs status bonitate præstat. Quia autem statuerat ad arma simul ac leges uitam suam accommodare, consilium cepit, & sapientiæ studio & Imperatorie laudi operam dare: Neque armis priuando doctrinæ eruditionem, neque prælia atque prudentiam separando. Et effecit meditationis diligentia unum, ex ijs, quorum non erat unum artificium, & natura sua distantia contraxit, ut fierent unum. **ACTIONES.** Postquam autem uirilem ætatem attigerat, tunc quæsiuit opportunitatem ad proferendum demonstrandumq; ea, quæ dudum studiose excercuisset. Ibi statim fortuna bellum exhibuit, suppeditauitq; illi peculiare opus artis, res ab uniuersis Graecis gestas, & in bello direpta, hoc custodiente, fuere conseruata. Quæ enim egerunt illi singilatim, ea tempus ipse non passus est occultare. Itaq; notum est, captam esse Plateam, & constat uastata Atticæ loca, & patet Atheniensium classem nauigando obijisse

## APHTHONII

Obiisse Peloponesum. Vidit nauales pugnas Naupactus, neque esse hæc obscura Thucydides conscribendo sinit. Lesbos capta est, & idipsum hodierno etiam die celebratur. Prælium est commissum cum Ambraciotis, neque factum istud tempus oppressit. Non ignoratur iudicium Lacedæmoniorum iniquum. Non obrutum silentio est egregium facinus Atheniense ad Sphacteriam atque Pylum. Hinc Cercyræi quidem ad concionem Atheniensem ueniunt, Corinthij uero his reclamant. At Aeginetæ Lacedæmonem se ut accusatores confitentur. Et moderate sese prudenterque gerit pro concione Archidamus, Sthenelaidas autem ad bellum instigat. Ad hæc accedit Pericles Laconicam legationem ignominiosè tranctans, & morbo laborantium Atheniensium indignationem cohercens. Ista simul uniuersa libris Thucydidis conseruantur toti uitæ humanæ.

COMPARATIO. Atque audet aliquis cum hoc comparare Herodotum? cum huius narrationes omnes ad delectationem tendant, illius uniuersa oratio ad ueritatem pertineat. Quanto igitur inferiora sunt iucunda ueris, tam longo interuallo à laudibus Thucydidis Herodotus abest. CONCLUSIO. Multa poterant præterea de Thucydide differi, nisi prædicationis copia interciperet omnium enumerationem.

## LAVDATIO SAPIENTIÆ.

PROOEMIUM. Adipisci quidem sapien-  
tiam

## PROGYMNAS.

tiam fortunatorum, nullius autem facultatis est merita  
eam laude celebrare. Tanta enim in hac abundantia  
feli itatis est, ut istud bonum communiter à diuis possi-  
deatur. Alia enim alijs dijs studia tribuuntur: Iuno  
nuptijs præficitur, bellis Mars unâ cum Minerva. Ad  
ignem excudit æs Mulciber. Neptunus præit nauigan-  
tibus. Denique alia alijs deorum in re exercetur, sa-  
pientiam autem participant uniuersi. Sed proprie ante  
omnes hanc Iuppiter uendicat. Quanto enim hic po-  
tentia deos cæteros, tanto eosdem sapientia superare re-  
peritur, utq; potentia fretus esse possit Iuppiter, sapi-  
entia ei præstat. **GENVS SEV EDVCA-  
TIO.** Atque Diuis hæc quidem cognatione paria  
est, bonum uero istud delatum in terram, & illud diui-  
na soboles attulit. Quocirca admirari poëtas supra  
modum libet, cum Palamedem & Nestorem, & si quis  
alius longe sapientissimus ipsorum carminibus perhibe-  
tur, deorum filios fecerunt. Non representantes illos  
quidem naturam deorum, (ita enim fuisset ipsorum con-  
ditio omnino diuina, & genere suo uirtutis communi-  
tatem declarassent) sed quoad acquisita ab his fuit uirtus  
diuina, eousq; pro filijs deorum habiti sunt. Et ita deo-  
rum progenies iudicantur, quod diuinum bonum ab his  
prouenerit, generis illud sui monumentum. **ACTI-  
ONES.** Atq; utroq; tempore ita sapientia potens est.  
Ex cæteris enim alia in pace tantummodo in laude &  
precio, alia in bello solum admirationi sunt. Ex omni-  
bus autem rebus una sapientia obtinere potentiam scit  
in arbor

## APHTHONII.

in ambobus & singulis. Nam & bella hæc gubernat  
 tanquam pacis ignara: Et pacem sic participat, ut  
 prorsus prælia ignorans. In utracunq; autem parte  
 superior fuerit, hanc solam tueri statuitur. Pacis enim  
 tempore leges sancit, omniq; genere utitur quietis. In  
 bello uero dux est & conciliatrix uictoria. Et quæ  
 præstat ut armis sint aliqui superiores, ea pro concione  
 alterum uirtutis operibus excellere non sinit. Itaque  
 utroque uersus æquale est ingenium illius, ut tam belli-  
 gerantes quam remanentes domi uiribus potiores sint.  
 Sola sapientia diuinas agit partes. Sola enim, Dei in-  
 star, futurorum scientia prædita est. Hæc agricolis ter-  
 ram explicat, & nauigantibus aperit mare. Neq; fru-  
 ges percipi possent, nisi sapientia esset. Neq; item na-  
 uem conscendere liceret, nisi sapiens contingeret gu-  
 bernator. Quapropter quæcunq; ambitiosè mare sup-  
 peditat, & exhibet tellus hominibus, eorum omnium  
 sapientia est inuentrix. Hæc ipsa ignorari delitescen-  
 do non est passa, si quid arcani celum quoq; complecti-  
 tur. Et, qui enim solis orbis ambitus sit, & quæ sin-  
 gulæ stellæ spacia conficiant, sola sapientia inueniendo  
 cum hominibus communicauit. Iam sapiens ne terre-  
 norum quidem est imperitus. Quin etiam, quod mor-  
 tui superstites futuri simus, sola sapientia explicauit.  
 Hæc Troiam cœpit. Quanq; longum adeo tempus eam  
 pere non ualuerat, eam sapiens consilium subegit. Eam-  
 dem Persarum euertit uires uniuersas, unius sapientis  
 consilij adminiculo. Cum cœpisset consilium sapientius  
Ulysses

## PROGYMNAS.

Vlyſſes, ibi tum Cyclopiſ interibat oculus. Ita appa-  
ret à ſapientia omnem procedere potentiam. COM-  
PARATIO. Et audebit iam aliquis cum hac con-  
ferre fortitudinem? At enim quicquid ſuapte natura  
efficere ualet fortitudo, id totum à ſapientia conſequi-  
tur. Quod ſi fortitudini detrahas prudentiam, relin-  
quetur illa in culpa. CONCLUSIO. Erant  
multa alia quæ diſſeri poſſent de ſapientia, ueram ſimul  
commemorando omnia exequi, eiſmodi eſt, ut fieri  
prorſus nequeat.

## DEFENITIO VITVPE- rationis.

VITVPERATIO oratio eſt expo-  
nens ea vitia quæ in aliquo inſunt. Inter  
hanc & Locum communem hoc inter-  
eſt: Quod locus communis ſupplicium  
inferri ſtudeat, Vituperatio uero inſe-  
ctationem ſeu obtrectationem tantum  
complectatur. Diuiſiones autem huius  
eadem ſunt capita, quæ Laudationis.  
Et ea vituperari debent, quæ laudari:  
Perſonæ, res, tempora, loca, animalia  
bruta, itemq; ſtirpes. Vituperare autem  
licet aliqua tam communiter quam ſin-  
gularim.

## APHTHONII.

gilatim. In proœmio ordiens pones genus, idq; diuidendo explicabis secundum laudationis rationem. Itemq; educationem, & actiones, & comparationem & conclusionem ita collocabis, quemadmodum in laudationibus.

## VITUPERATIO PHILIPPI.

**NEQVE** laudum expertem uirtutem, neque uituperatione carentem prauitatem relinquere æquum est. Quandoquidem utroq; modo relinquitur alijs partum lucrum, dum boni collaudantur, & mali culpantur. Sane male audire cunctos animis malis præditos, fas est: sed eò magis ex omnibus Philippum, quo cæteris improbitate omnibus superior est. Nam ex ea gente prodijt quæ est inter barbaricas deterrima per ignauiam locum loco commutare quærens. Primum enim istos argui expulerunt. Deinde uagantes illi in eam terram quam modo habent, confugerunt: duplici fortuna aduersa usi in sede paranda, dum potioribus cedunt, & deteriores ipsi eijciunt, ac per ignauiam & auiditatem certam eis regionem incolere non conceditur. Atq; ille gente ea ortus, futiliorem habuit ciuitatem patriæ originis. Et Macedones enim barbarorum deterrimi, & bella in solo Macedonico futillissima est. Ex qua ne

C                      seruientes

## PROGYMNAS.

seruientes quidem homines grati sunt ulli. Tam ex ista  
hie natione ortus, maiores nactus est solo illo asperio-  
res. Nam inter maiores ipsius Philippus extat, cui suc-  
cessione generis terram eam obtinere concessum non  
fuit. Sequitur hunc pater ipsius Amyntas, cui ad re-  
gni possessionem alieno auxilio opus fuit. Eiectum enim  
hunc Athenienses restituerunt. Cumq; ista origo huius  
ante oculos esset, mansit ipse apud Athenienses obsidis  
conditione. Et quamuis in media uersaretur Græcia,  
mores tamen illa consuetudine non mutauit, sed intem-  
perantiam barbaricam inter Græca studia præ se tulit.  
Diuisisq; ac distinctis omnibus apud Græcos & Barba-  
ros, idem iste erat cum utrisq; improbitatem parem in  
dissimilibus generibus excercens. Ac primùm seruitute  
oppressit cognatas gentes, perfidiam ibi declarans ubi  
extiterat atque creuerat. Itaque ad ortus uicinarum re-  
gionum quosq; eos delere, & Pæonibus captis adijcere  
Illurios, & Triballorum regionem inuadendo capere,  
tam multas deniq; nationes occupare, quam multis cir-  
cumquaq; minus propitia tunc fortuna fuit. Atque po-  
titus ille quidem Barbarorum præliando corporibus,  
sed animis unà cum corporibus potitus non fuit. Quiq;  
armis coacti serui erant, ij somniare defectionem, esseq;  
cogitatione propria sui iuris, quamuis reipsa seruirent.  
Subiectis autem ditioni suæ finitimis, recta pergens  
Græcos est aggressus. Primumq; Græcorum in Thra-  
cia urbes subigere, potiundo Amphipoli & opprimen-  
do Pydnam, & unà cum his Potideam corripiendo :  
Neque

## APHTHONII.

Neque Pheras à Pagasis separare, neque à Pheris Magnesium, cum totæ Thessaliæ urbes occuparentur, quæ seruitutem tanquam generis notam tulerunt. Meretur narrationem exitus quoque ipsius ex uita. Dum enim aggrediendo plurima loca subigeret, et foederibus uiolatis, eos, quibus cum illa fecerat, seruitute opprimeret, ob hanc fractorum foederum impietatem, iratum numen diuinum, dignam ipso mortem obtulit. Non enim ita in proelio cadere eum uoluit, ut aliquod facinus uiri fortis, testimonium perhiberet mortis ipsius, sed inter medias interemtum uoluptates sustulit, ipsis uoluptatibus, præclara scilicet pompa funebri, scelera Philippi celebrando, ut intemperantiæ suæ, utroque tempore, tam uitæ quam mortis, testes haberet. Atque cum isto aliquis iam Echeto comparauerit? At hic partes minutas extremorum membrorum amputans, corpus reliquum siue intactum: Ille uero tota una cum totis partibus corpora deleuit. Quanto autem grauius est totum extinguere quam partem aliquam, tanto Philippus Echeto atrocior. Non sciuit Philippus cessare et quiescere donec superstes fuit, finire autem atque desinere orationis de eo expositionem necesse est.

## DEFINITIO COMPARATIONIS.

COMPARATIO, est oratio oppositiuæ inquisitionis, quæ complectitur inferendo

## PROGYMNAS.

ferendo ad id, quod collationis gratia  
adhibetur, applicationem maioris aut  
æqualis. Comparando autem oportet  
applicare vel honesta ac præclara bonis  
& probatis, vel futilia futilibus, vel bo-  
na probataq; improbis & malis, vel par-  
ua maioribus. Et omnino est compara-  
tio duplex laudatio, seu oratio compo-  
sita de laudatione. Atq; est comparatio-  
nis locus omnis prorsus acer atq; vehe-  
mens, sed is potissimum, quo comparan-  
tur parua cum magnis. Ea autem o-  
mnia comparari debent, quæ laudari &  
vituperari; Personæ, res ac negotia, mo-  
menta temporum, loca, animalia bruta,  
& præterea stirpes. In comparatione  
autem res totæ cum rebus totis confe-  
rendæ non sunt (Est enim hoc abiectum  
& contentionem non habet) sed capita  
singulatim cum capitibus. In hoc enim  
certè contentio inest. Nam diuisio seu  
dispositio laudationem conformat non  
comparationem. In hunc tractatum

com

## APHTHONII.

comparationis caput non incidit, cum ipsum progymnasma totum comparatio sit.

### COMPARATIO ACHIL- lis & Hectoris.

**VIRTUTEM** cum uirtute comparare quaerens, oppono examinando Pelidem Hectori. Quamuis enim uirtutes ipsae per sese ueneratione dignae sint, collatione tamen spectatiores efficiuntur. In una terra ambo isti nati non fuere, sed in praestante laude uterque. Nam alter patriam habuit Phthiam, unde is prodijt à quo Hellas (quae Graecia est) cognomentum traxit: Alter Troiam, cuius inter deos primarij dij fuerunt conditores. Quantum autem ualet ad hoc, ut minor laus non sit, esse paris regionis ciuem, tanto minus longo post Achillem Hector interuallo relinquitur. Tam procreati in terra laudata ambo, habuerunt aequalem itidem ambo cognationem. Vterq; enim Ioue ortus est. Nam filius fuit Achilles Pelei, Peleus Aeaci, & Aeacus Iouis. Hector autem similiter Priami & Laomedontis, Laomedon uero prodijt à Dardano, & Dardanus filius fuit Iouis. Atq; autorem nacti generis Iouem, patres etiã adepti sunt existimatione pares. Contigerunt enim patres Achilli Aeacus atq; Peleus. Quorum ille eripuit Graecos cladibus mortiferae sterilitatis: Hic autem caesis Lapithis praemium uictoriae est sortitus dea coniugium. At Darda-

## PROGYMNAS.

nus ex Hectoris fuit maioribus, qui participarat dudum  
 deorum immortalium cotidianaë vitæ consuetudinem,  
 pater uero Priamus dominus urbis, quam mœnibus dij  
 cinxerant. Ut autem existimatione æquale est partici-  
 pem esse coniugij & consuetudinis vitæ cotidianaë, sic  
 æquales existimatione ducendi sunt Hector & Achilles.  
 Talibus autem orti maioribus ad fortitudinis laudem  
 ambo sunt educati. Hic enim alumnus Chironis fuit,  
 illius uero educator Priamus, qui naturalia dedit uir-  
 tutis documenta. Itaq; æqualis utriusque ad uirtutem  
 educatio, æqualem utriusque celebritatem conciliat.  
 Postquam uero ad uirilem ætatem ambo fuere progressi,  
 uno in bello pari facultate uirium præstiterunt. Primum  
 enim Hector Troianorum fuit ductor, & quoad uita  
 durauit, præsidium. Deinde socijs Dijs mansit præli-  
 ando incolumis, & cum cecidisset, ruinæ causam dedit  
 Troiæ. Sed Achilles armatus dux fuit Græciæ, & ter-  
 ribilis cunctis Troianos pugnando deuicit, & sociam  
 habuit in prælio Mineruam, & cum cecidisset uictoriæ  
 copiam ademit Achiuis. Atq; Hector quidem ope Mi-  
 neruæ inferior est interfectus. Achilles uero cecidit ictu  
 Apollinis. Et ambo hi deorum soboles, à dijs sunt in-  
 terempti. Vnde enim extiterat origo generis, indidem  
 & finis vitæ oblatus est. Quemadmodum igitur ho-  
 rum tam uita quam mors existimatione par est, ita He-  
 ctor quoque & Achilles pares dici debent. Erant alia  
 plura, quæ de utriusque uirtute dicerentur, nisi parem  
 existimatione gloriam rerum gestarum haberent ambo.

DEFINITIO ETHO-

pœiæ.

ETHOPOEIA est imitatio ingenij & moris personæ subiectæ. Huius differentia sunt tres: Idolopœia, Profopœia, Ethopœia. Atque est Ethopœia ea, quæ personam habet notam, cuius tantum ingenium moremq; confingit, & inde hoc nomine appellata fuit (quo ingenij & moris fingendo expressio significatur.) Vt, Quæ verba facere Hercules ad Eurysthei imperium potuisse videatur. Hic Hercules iam notus est, sed personam dicentis effingimus. Idolopœia vero ea est, quæ & ipsa quidem personam habet notam, sed mortui & quæ oratione deficitur. Quemadmodum finxit Eupolis in fabula, cui nomen Populi, & Aristides in oratione cuius est inscriptio, Pro quatuor quibusdam. Et hinc illa nomen inuenit, (quo significatur vmbrae simulacrum) Profopœia autem ea est, in qua sunt ficta omnia de

PROGYMNAS.

ingenio moribusq; & persona. Qualem Menander introduxit Elenchum. Est enim Elenchus res sane quædam, sed persona non est. Et ideo huic istud nomen est impositum ( quo significatur personæ fictæ commentum ) confingitur enim unâ cum persona mos quoque & ingenium. Ac diuisio quidem hæc est. Sunt autem Ethopœiæ aliæ affectuum vehementiorum, aliæ mitiorum, aliæ utrorumq;. Vehementiorum sunt affectionum eæ, in quibus perpetuæ sunt perturbationes. Ut quæ Hecuba facere, Troia diruta, verba potuisse videatur. Mitiorum, in quib. tantummodo exprimuntur ingenia ac mores. Ut quid verborum mediterraneus aliquis primum mari conspecto facturum esse videatur. Utrorumq; ( in quibus ambo illi affectus miscentur ) complectentes & hanc & illam formam. Ut, quæ verba Achilles cæso Patroclo deliberans de bello, facere potuisse videatur. Ad ingenium enim

## APHTHONII.

enim & morem pertinet consultatio. Ad  
 perturbationem animi, amicus occisus.  
 Ethopœia elaborabitur forma orationis  
 perspicua, breui, florida, soluta, ab omni  
 implicatione & figurarum gestu aliena.  
 In dispositione autem pro capitib. vte-  
 ris tribus temporibus: Præsente, præ-  
 terito & futuro.

### ETHOPOEIA AFFECTVS vehementioris.

QVAM orationem habere Niobe de casu in-  
 terfectorum liberum potuisse uideatur. A TEM-  
 PORE PRAESENTE. Quam uero ego cum  
 qua fortunam commuto? orba liberis, quorum copia du-  
 dum fortunata essem. Atq; multitudo in penuriam modo  
 conuertit. Et ne unius quidem mater sum, quæ nume-  
 rosa sobole celebrabar. Non parere profecto omnino  
 oportuit potius quam parere ad lacrimas. Plane sunt  
 infeliciores quibus liberi eripiuntur, ijs quæ peperere  
 nunquam. Quod enim ad experimentum peruenit, eius  
 spoliatio tristitiam affert. A PRAETERITO.  
 Ego sane, ô me miseram, simili fortuna utor patris mei.  
 Tantaloprocreata sum, qui familiariter cum dijs uersa-  
 bus, & post hunc usum ab eis est eiectus. Et ego Tana-  
 tali pro-

## PROGYMNAS.

tali proles aduersæ fortunæ testimonio genus confirmo. Cum Latona me coniunxi, & hinc caussa extitit miseriæ meæ, contigitq; ista mihi consuetudo ad orbitatem liberum meorum, & cum dea conuictus ad calamitates mihi euasit. Priusquam notitiam Latonæ experirer fortunata mater eram, sed illam consecuta, nunc expers sum sobolis, quam ante istam familiaritatem habebam numerosam. Et nunc in manib. sunt lamenta de utriusq; sexus liberis, & facultas luctus honestatis graui ratione constituti adimitur. Quo me uertam? Qua ope nitar? Quodnam sepulcrum sufficere poterit exitio totius sobolis interemtæ? Non relinquunt locum funeris honoris calamitates. A F V T V R O. At enim cur in his deplorandis moror? cum liceat precari deos, ut in alterius generis naturam mutata conuertar. Vnam miseræ fortunæ liberationem cerno, transitum ad ea, quæ sensu carent. Tametsi non minus uerear, ne etiam in hac ipsa specie lacrimari perseuerem.

## DEFINITIO DE scriptionis.

DESCRIPTIO est oratio ambitiosa expositione oculis subiiciens id, quod declaratur. Describendæ autem sunt personæ & res, temporaq; & loca, animalia bruta & præterea stirpes. Personæ, ut

APHTHONII.

næ, vt Homerus in Odyſſea Eurybatem  
describit, qui eſſet :

*Incuruis humeris, ater, criſſoq; capillo.*

Res, vt naualia aut pedestria proelia,  
qualia historicus. Tempora, vt ū quis  
exponat de vere & æstate, quinam flores  
in illis enascantur. Loca, vt idem Thu-  
cydides portum Thesprotarum Chime-  
rium, qua forma sit, enarrauit. Descri-  
bendo personas à primis ad vltima pro-  
cedi oportet, id est, à capite ad pedes.  
Sed describendo res, ab ñs quæ illas an-  
tecedunt per compræhensas in ipsis, ad  
ea quæ euenire inde solent. Tempora  
autem & loca, ex ñs quibus illa conti-  
nētur & quæ in ipsis insunt. Descriptio-  
num aliæ sunt simplices, aliæ coniugatæ.  
Simplices, vt quæ pedestria aut naualia  
proelia exequuntur. Coniugatæ, vt quæ  
res & tempora copulant. Quemadmo-  
dum Thucydides proelium nocturnum  
describit in Sicilia. Vnà enim cum illius  
gesti modo, quod tempus fuerit noctis  
definiuit.

## PROGYMNAS.

definiuit. Qui aliquid describent, eos formam orationis exprimere oportet liberam ac solutam, & hanc diuersis figuris variare, & omnino sequi eas res quæ describentur.

## DESCRIPTIO ARCIS Alexandriæ.

AT ARCES enim ita constituuntur, ut tutas præstent illæ quidem urbes communiter, in editioribus enim urbium locis extructæ sunt, ipsæ tamen non magis ædificijs muniuntur, quam muniunt urbes. Atque Atheniensem arcem mediam includit Athenarum spacium, Sed eius arcis, quam suæ peculiari urbi imposuit Alexander, ita perfectum opus est, ut appellatio huic congruat. Nam in editiore urbis parte eam collocauit, & uerius licet hanc urbis arcem appellare, quam illam, qua animos sustollere Athenienses more consueuerunt. Talis enim quædam illa est, qualem differendo oratio nostra demonstrabit. Locus quidam editior solo eminent. In hoc longe altitudine procedente utranq; ob causam nominatur Arx urbis, quod extollatur altitudine, & editiori loco imposita sit. Viæ ad hanc æquales non sunt. Hac enim uia, illac aditus est. Et uia istæ nomina mutant, & quo sese habent modo, ita etiam uocantur. Vna enim pedibus communiter simul & plastro adiuncto.

## APHTHONII.

adiuncto, accedendi uia patet: In altera autem gradus  
 sursum uersum reuulsi sunt, qua plaustra traduci neque-  
 unt. Scalæ enim impositæ scalis maius deinceps semper  
 spacium exhibent, deducendo à minore, euaduntq; in  
 sublimius, neq; desinunt antequam perueniatur ad cen-  
 tum. Terminus enim numeri ibi est ultima summa per-  
 fectæ mensuræ. Excipit autem scalas uestibulum inclu-  
 sum mediocribus cancellis. Ibi quatuor eminent co-  
 lumnæ maximæ, multas atq; diuersas uias ad introitum  
 unum coniungentes. Supra has columnas extat ædifi-  
 cium mediocres columnas alias prætendens. Quæ illæ  
 quidem colore sunt dissimiles, sed elaborationis colla-  
 tione ornatum operi addunt. Aedificij autem lacunar in  
 orbem cogitur, in quo orbe ingentis rerum monumenti  
 pegma uisitur. Ad arcis ingressum, lateribus unum spa-  
 cium æqualibus quatuor distinctum, & machinationis  
 illius figura quadrata est. Atrium uero in medio cir-  
 cumdata columnis. Hoc excipiunt porticus columnis  
 distinctæ æqualibus, & ea mensura definitæ, ultra quam  
 maior capi nequeat. Singulæ autem porticus ad trans-  
 uersas alteras desinendo pertinent, & columna duplex  
 ad utramq; diuiditur porticum, unam terminans & in-  
 choans alteram. Intra porticus ædificando, passim ex-  
 tructa septa sunt. Quorum alia penus sunt librorum, &  
 patent laboriosis in sapientiæ studio, & ad copiam sa-  
 pientiæ prouehunt ciuitatem uniuersam. Alia conse-  
 crata sunt ad ueterum deorum cultum. Porticus lacunar  
 habent elaboratum auro. Columnarum capitula ære  
quidem

## PROGYMNAS.

quidem illa fabrefacta, sed auro contecta sunt. Atque non est unus atrij uniuersi ornatus. Alia enim parte exornata aliter, quaedam exhibere Persei certamina. In medio autem eminent columna una altitudine supra ceteras ardua, atque totius loci spacium exhibens apertum (neque progrediens aliquis, quo pergat nouit, nisi illa columna itinerum indice utatur) & terra mariq; arcem conspectui exponit. Capitulum autem columnae huius rerum principia circumstant. Et priusquam in medium atrium perueniatur, collocatum est quoddam opus diuisum portas uersus, quae nominibus deorum ueterum appellantur. Ibidem erecti stant obelisci duo lapidei, & fons est praeclearior quam Pisisstratidarum. Superatq; fidei miraculum, complectens numerum eorum, qui illud opus perfecerunt. Quod enim unus ad fabricandum non sufficeret, spectantur propositi ibi totius arcis opifices ad duodecim. Descendentem de arce excipit baeae quabilis loci spacium speciem stadij referens, unde & loco nomen factum, illac alterum diuisum similiter, sed non aequali excursu. Omnino pulcritudo maior est, quam ut uerbis exprimi possit. Quod si quid est praeteritum, id scilicet quasi in cellis admirabilis rei diluit. Cum ijs enim quae enarrare non licuit, est praetermissum.

## DEFENITIO THESEOS.

THESIS est oratione exposita consideratio

## APHTHONII.

sideratio de re quapiam quam contem-  
 plamur. Harum aliæ sunt ciuiles, aliæ  
 cognitionis seu scientiæ. Ciuiles, actio-  
 nem habent ex qua ciuitas constat. Vt :  
 Sintné coniungendæ nuptiæ? An nauig-  
 gandum sit, an extruenda moenia. Ex his  
 enim, dum fiunt, omnibus constat ciui-  
 tas. Cognitionis theses in sola mentis  
 contemplatione versantur. Vt, Sitné  
 celi figura globosa? Sintné mundi plu-  
 res? Hæc sub humanum experimentum  
 haud veniunt, & solius mentis contem-  
 platione continentur. Inter Thesin &  
 Hypothesin hoc interest : Quod Hy-  
 pothesis habet peristasin, sed Thesis illius  
 expers est. Est autem Peristasis : Perso-  
 na, res ac negotium, causa, & cætera.  
 Vt in hoc : Sintné extruenda moenia?  
 consideratio est quæ personam non ha-  
 bet. Hoc vero : Ad Persarum impres-  
 sionem deliberant Lacedæmonij de mu-  
 nienda Sparta, hypothesis est. Habet  
 enim personam Lacedæmonios consul-  
 tantes,

## PROGYMNAS.

tantes. Rem seu negotium, Spartæ munitionem. Caussam, impressionem Persarum. Prima autem inter progymnasmata Thesis admittit in disceptando obiecta atq; horum solutiones. Disponitur itaq; Thesis primū ea, cuius nomen est Ephodus ( id est, recta ad rem aggressio ) qua loco prooemij in dicendo vteris, & deinde vltimis ac perfectis capitibus : Legitimo, iusto, vtili, expedito.

## THESIS: AN NVPTIAE coniungendæ sint ?

**QVI** istam rerum uniuersitatem breuiter honorare uult, is coniugium prædicando celebret. Hoc enim è celo prouenit, immo celum ipsum diuis complet, & vim obtinet patriam in ijs, a quibus nomen paternum confertur. Cumq; deos procreasset, reliquit illud quidem his ipsius naturæ custodiam, sed in terras inde progressum, originem attribuit uniuersis. Et quæ permanere non possunt, ea transferendo perfecit callide, ut successione durarent. Hoc primum ad fortitudinem uiriles animos effert. Propterea enim quod coniugij ista ratio est, ut liberi ductis uxoribus suscipiantur (quorum  
gratia

## APHTHONII.

gratia bella geruntur) ideo robur unâ cum suis mune-  
 ribus largitur. Efficit idem non fortes modo viros, sed  
 iustos quoq;. Nam quia cognationum decora ambiun-  
 tur, quarum sollicitudine iura homines colunt, ita fit, ut  
 hinc existant iustitia simul atque fortitudine præditi.  
 Quin sapientes etiam coniugio fiunt homines, dum exci-  
 tantur ad prospiciendum ijs, quos habent carissimos.  
 Quodq; est admirabile, castitatem afferre coniugium  
 scit, & cum ambitiosa in hoc uoluptatum appetitione  
 castitatis temperantia commista est. Cum enim legem  
 hoc uoluptatibus constituat, uoluptatum ita usum casti-  
 tatis lege concedit. Et quod ipsum per sese culpatur, id  
 in coniugio suspicitur. Si igitur coniugium producit  
 tam deos, quam singulorum deinde cognationes, &  
 opus huius sunt iusti, idemq; instituendo sapientes efficit  
 atque castos, cur non bonor illi, quoad eius fieri potest,  
 habeatur? **OBIECTVM.** Sane, inquit aliquis.  
 At enim coniugium causam dat casuum aduersorum &  
 miserie. **SOLVTIO.** Videre tu mihi fortunam  
 accusare, haud coniugium. Quibus enim malis consti-  
 tando afficiuntur homines, ea fortuna infert non con-  
 iugium. Quæ autem ornamenta mortalibus hoc præ-  
 stat, eorum iam commoda à fortuna nequaquam profici-  
 scuntur. Quocirca magis admirationi esse debet coniu-  
 gium, quam accusari calamitas fortune. Vt maxime uero  
 ea, quæ in hominum uita deterrima sunt, coniugio tri-  
 buamus, ideo ne coniugio est abstinendum? Haud pro-  
 fecto difficultates rebus adhaerentes earundem desertio-

## PROGYMNAS.

nem & fugam efficere solent. Atq; mibi in singula ar-  
 tificia inquirito, in quib. inheret aliquid omnino eor-  
 um quæ accusas. Agricolis molesta sunt fulmina, &  
 perniciose grandines. Non tamen illi agricolæ quorum  
 fulmen solum vastat, solum suum etiam deserunt aufugi-  
 endo, ac potius perseuerant in terræ cultu, quamuis ali-  
 quid triste celitus acciderat. Rursum aduersa fortuna na-  
 uigantes utuntur, & naues perdunt tempestate existente,  
 non tamen propterea nauigationem ac quiescendo omit-  
 tunt, quod parte quadam huius offenderint, sed casum  
 aduersum fortunæ illi quidem ascribunt, nibilo tamen  
 minus copiam, quæ ex mari contingat, expectare per-  
 gunt. Iam prælia atq; bella dimicantium certe corpora  
 perimunt, at bi non ideo tamen quod pugnando cadere  
 possint, pugnas defugiunt, sed quia bellum gerendo in  
 admiratione sunt, si cadendum etiam sit, boni id consu-  
 lunt, simulq; quod incommodi de præ sente bono adhæ-  
 ret, confundendo occultant. Non enim quæ bona sunt,  
 ea propter mala fugere, sed bonorum gratia deterrima  
 quæq; sufferre debemus. Quapropter haud est consen-  
 taneum: Agricolas, nauigatores, præ terea milites to-  
 lerare difficultates suas, coniunctarum laudabilium a-  
 ctionum gratia, si nobis coniugium ideo minus honora-  
 bile, quod afferat aliquid molestiæ, futurum est. O B-  
 IECTVM. Sane, inquit, Verum enimvero uxoria-  
 bus uiduitatem hoc, & liberis orbitatem offert. S O-  
 LV TIO. Iste est mortis terror, & affectio hæc na-  
 turæ nota. Tu uero crimen istud inferre coniugio ui-  
 deris,

## APHTHONII.

deris, quod non efficiat deos ex hominibus, & hoc ac-  
 cusare, quod non reposuerit in numerum deorum res  
 humanas. Quæso enim dicas, Cur reum facias coniu-  
 gium eorum quæ à morte exercentur? Aut cur de  
 Hymenæo perhibeas ea, quæ profitetur Natura? Con-  
 cedito ut cadat is, qui ita natus est, ut caderet. Si uero  
 homines occidunt, quoniam nati sunt, & qui occidit  
 cum uiduam relinquit coniugem suam, tum orbitatem  
 parat nato, Tum ne dices? coniugium ea efficere, quæ  
 ab ipsa natura tantum accidunt. Ego uero contra con-  
 iugio tam uiduitatem quam orbitatem corrigendo emen-  
 dari iudico. Esto pater alicuius mortuus, & eo nomine  
 orbis filius: At coniugium orbis alterum suppeditat  
 patrem. Et perturbatio luctus non illa quidem de con-  
 iugio existit, sed hoc ipso uelando tegitur. Ita coniu-  
 gium orbitatis non materia sed interitus reperitur. Vi-  
 duitatem deinde adduxit de fine uitæ Natura, coniugi-  
 um uero nuptijs illam postea mutauit. Quam enim ui-  
 duam mors fecerat, ei coniugium reddidit uiri consue-  
 tudinem, ueluti custodiendo beneficium suum, Et quæ  
 initio contulerat, ea detracta attribuit denuo. Itaq; scis  
 demere uiduitatem non addere, coniugium. Tam patris  
 morte eripiuntur liberi, coniugioq; alicrum ille parti-  
 ceps, & iterum pater fit, cui perpetuo esse non licuerat.  
 Quid igitur coniugij bona ad criminationem coniugij  
 conuertis? Atque uideris mihi non quærere, quo pacto  
 coarguas, sed quibus laudibus ornes coniugium. Quib.  
 enim enumerari cogis suauitatem & beneficia nuptia-

## PROGYMNAS.

rum, ijs laudator non acensator esse coniugij existit,  
dumq; coniugium accusas, admirari illud nos cogis, &  
ex coniugij accusati criminibus recitationem benefactorum  
efficis. **OBIECTVM.** Sane, inquit, sed est  
coniugium res laboriosa. **SOLVTIO.** Immo  
quid est quod magis sciat labores discutere quam con-  
iugium? Qui quid laborando defatigatur, id subleua-  
tur nuptijs. Estq; prorsus otiosa quies consuetudo con-  
uictusq; uxoris. Quo cum otij quiete spes concipi-  
tur liberum, & expectati hi apparent, & conspecti  
patrem appellant? Ad exercitationem deinde artis  
procedunt, & socij operum paternorum, & pro con-  
suetudine uerba facientes, & alentes in senectute patrem,  
denique in omnibus quibus usus indiget praesto sunt.  
Nulla oratione differendo possunt explicari coniugij  
fructus. **CONCLUSIO.** Res est magna con-  
coniugium: Quod & deos producit, & ut uideantur  
dij praestat hominibus, quandoquidem callide perpetui-  
tatem ipsis conciliat. Qui coniunguntur nuptijs, eos  
disciplina iusticiae instituit, & incitat ad castitatis con-  
siderationem, & est ambitiosa in uoluptatib. illis, quae  
cognitae non culpantur. Quocirca ita sese res habet,  
ut coniugium omnino plurimi sit faciendum.

## ALIUD EXEMPLVM.

Quod

## APHTHONII.

Quod non ducenda sit vxor, Thesis à contrarijs Aphthonij locis tractata, studio exercitij.

**EXORDII FORMVLA** Cum iuxta uetus prouerbum: Ignis, Mare, Mulier, tria mala sint, mihi plurimum desipere uidentur, qui se coniecerint in flammam, in fluctus, & in matrimonij calamitates. Hoc ipsum dissuadendi studio comprimis Homerus ait: Vsq; a teò nihil improbius, muliereq; peius. Et temporibus hodiernis strenuè dant operam mulieres, ne Poëtarum grex uaniloquus omnino fuisse reputetur, qui scœmina nihil pestilentius esse confirmarunt. Et mulierem omnem esse malam, perquam uenustè significauit Lacon quidam, qui cum uxorem duxisset perpussillam, dicebat e malis, quod minimum esset, eligendum. Quippe

λύχνου ἀρθέντος γυνή πᾶσα ἡχὺτή.

**AB INDIGNITATE MATRIMONII.** Non eo inficias, matrimonium institutum à Deo, sed ab eodem etiam adiectos tot laborum sudores, tot molestias, deniq; dolores, inficias non eo. Et quod ab initio bonum erat, iam, uel temporum iniuria, uel hominum malitia, factum est longè deterrimum: ut multò citius Plutonia regna cacodæmonibus repleat, quàm Dijs cœlum.

**A PVSILLANIMITATE.** Milites ignaui sunt, & cor in pedes ijs decidere solet, quibus domi sunt uxores atq; liberi. Etenim extra telorum iactus esse, & post

## PROGYMNAS.

principia se continere laborant, id unum curantes, ut integri maneant ac illæsi, ne, si fuerint interfecti, relinquunt viduas atq; pupillos. Cæterùm qui paulò fuerint animosiores, à suis obiurgantur, iuxta illud Penelopes:

Ausus es ô nimium nimiumq; oblite tuorum, &c.

**AB INIVSTITIA.** Iniquos facit ad iram concitans coniugium. Hæc ipsissima est officina rixarum, ut portus tranquillitatis cælibatus, unde illud: Qui non litigat, cælebs est. Deinde, qui obstricti sunt matrimonio, coguntur indices magnum in usus domesticos sumptum facere ad uxores, liberos, & familiam alendam. Et deficiente crumena, per fas, perq; nefas pecuniam corradunt, secum assiduò dicentes:

Vnde habeas querit nemo, sed oportet habere.

Lucrum pudori præstat.

Et genus & formam Regina pecunia donat.

O ciues ciues, quærenda pecunia primum est.

Virtus post numos.

Quantum quisque sua numorum seruat in arca,

Tantum habet & fidei.

Certè prima ferè uota, & cunctis notissima templis,

Diuitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto

Nostra sit arca foro: Ut ait Iuuenalis.

**AB INTEMPERANTIA.** Quotusquisq; e<sup>st</sup>, qui non matrimonium contrahat, ut sponsi (quod aiunt) vitam uicturus, perfruat<sup>ur</sup> uoluptate, ac subet in libidinem, curetq; hoc unum, ut lasciuum interueniat illud: Ζωὴν ἢ τυχῆν. **EPILOGVS.** Quis

igitur

## APHTHONII.

igitur matrimonium laudibus euehendum aestimet, eum inferorum regna magis, quam caelorum adaugeat, cum iniquos faciat, contineatque uitam obscenis plenam uoluptatibus, ac earum uenenatis uilecebrarum praestigijs incubans, adducat malorum (quod aiunt) Iliada, ut, *γυναικῶν ὀλεθροί*, proverbio locum fecerint.

**CONTRADICTION.** Sed ais: Quae sunt in matrimonio mala, ipsi fortunae sunt assignanda. **SOLV**

**TIO.** Id immerito facis, Nam si uiri caelibes uiuerent, a plurimis afflictionibus liberi manerent, nunquam agricolae assiduo tanto labore terram colere, nunquam genus omne cerdonum tanto sudore diffluere, nunquam tantis periculis mercatores nauigare cogerentur, si non querulis uxoribus atque liberis egentibus uictum et amictum quaerere compellerentur. Verè igitur diuus Paulus de coniugatis inquit: Afflictionem in carne sunt habituri, et beatiore praedicat, qui hoc frenum non momorderint. **CONTRADICTION.** Sed ui-

duarum et orborum pupillorum conditiones morti, non matrimonio refers acceptas, et per hoc relaxari dicis, quod per illam aufertur. **SOLV**

**TIO.** Esto, Mors tibi patrem eripit, nouae nuptiae uitricum reddunt. Sed haec ipsa pensatio ipsissima est Diomedis et Glauci permutatio, qua pro perca scorpius accipitur, pro charissima matre datur nouerca, ut rideatur, qui ad eius tumulum fuerit lachrymatus. **CONTRA-**

**DICTIO.** Esto inquis. Sed tamen non laboriosa res est matrimonium, cum laborum participes uxores hinc

## PROGYMNAS.

uiris solatio : & filij parentes ipsos omni malorum fa-  
sce leuent, foueantq; fessos etate. DILVTIO.

Sæpius molestant viros, quàm consolantur uxorum  
greges : quarum paucissima fideles, ut uerè dictum sit :  
Mulieri non credas, ne mortuæ quidem. Quod mo-  
net, usque adeò non esse fidendum mulieri, ut etiam si  
morientem uideas, putes fingere. Et filiorum incertissi-  
mus est euentus. Longè plures dedecori sunt parentibus,  
quàm ornamento. Qui ut arietes nutritionis merce-  
dem persolunt, argento senes emungendo, turpissimisq;  
facinoribus excruciendo, ut Crates ille recte dixerit,  
ΤΕΚΝΑ ΠΟΝΟΙ, &c. CONCLUSIO. Ergo cum  
tot undiq; malorum fluctibus matrimonium impetatur,  
quis sanæ mentis solutus ab uxore qua siuerit uxorem &

## LEGIS ROGATIO.

ROGATIONEM legis quoque  
concesserunt aliqui esse exercitatio-  
nem. Est etenim hæc tota ferme hy-  
pothesis, non fertur tamen omnia quæ  
propria sunt illius. Nam introduciur  
hic persona quidem sed non prorsus  
etiam nota. Itaque magis iste tracta-  
tus ad thesin, & minus ad hypothesin  
pertinet, Quia enim omnino personæ  
figuram

## APHTHONII:

figuram admittit, thesin superat, Quod autem nullam seruet manifestam peristasin, non assequitur hypothesin. Legis itaq; rogatio duplicem habet exercitationem, nimirum patrocinium & accusationem latæ legis. Est autem lex inuentum quidem & munus deorum, ciuitatis vero conuentio publica, & correctio delictorum vtriusq; generis. Atq; ita diuiditur Legis rogatio: Quam elaborabis in capitibus, quibus explicantur causæ status negotialis: Legitimo, iusto, vtili, expedito. Atq; pones proœmia, & post hæc id quod contrarium vocatur, & deinceps capitibus illis vteris. Vnde & hac ratione discrimen inter Rogationem legis & Thesin animaduertitur.

REPRÆHENSIO SEV AC-  
cusatio Legis iubentis adulterum  
manifesto depræhensum  
interfici.

E

Neque

## PROGYMNAS.

**NEQVE** Legem ego istam prorsus laudaturus, neque perscripta omnino accusaturus sum. Laudo enim quod fertur, quatenus adulteria eò cohercentur: Quia uero non expectantur iudicium calculi (seu sententiæ) istud consilium reprehendo. Quod si autor legis largitionis crimine condemnans iudices, iudicia sustulit, redarguitur opinionis ipsius, quam habet de iudicibus, prauitas. Sin statuit iusta esse nostra iudicia, quemadmodum illa sunt, æ quumne est ÷ collaudari iudices, & ex iudicum manibus legem eripi. Omnes sane cæteræ leges, quæ sunt contrariæ sancitis, partim aduersantur hisce aliquib. ciuitatibus, partim alijs quibusdam consentaneæ sunt. Ista autem lex sola contraria prodijt in præsentia uniuersis. **CONTRARIUM.** Arbitror autem melius uos existimaturus cuiusmodi ista lex sit, si ad iudicium animorum uestrorum reuocaueritis statum rationemq; Reipublicæ uestre uniuersæ: Imperatores, sacerdotia, decreta cuncta, pene dixerim omnia quæ fortissime in bello geruntur: uniuersa inquisitionem iudicum sentiunt. Atque est imperator is, quem iudex probauit, sacerdotio fungitur confirmatus à iudice, decretum id ratum deniq; est, de quo fecerunt alij iudicium. Quin etiam uictoriæ in bellis non participant ulli præmio, nisi prius subierint iudicium. An non igitur minime est consentaneum? cum omnes uenire in iudicium oporteat, solam istam legem sententias iudicum defugere. **OBIECTVM I.** Sane, inquit aliquis, uerum scelera sunt adulterorum ingentia, **SOLV-  
TIO.**

## APHTHONII.

**TIO.** Quid? an non sunt homicidarum maiora? An proditores minus statuemus sceleratos esse alijs? Sacrilegi quoque nunquid animaduersionem merentur leuiorem? Nibilo tamen secus horum conuictos iudicium manet. Et neque proditor pœnam persoluit, nisi sententia lata a iudice, neque euenit homicidæ ut occumbat, nisi accusator facinus coarguerit, Neque ut perpetiatur aliquid fur rerum sacrarum, priusquam illa ad cognitionem iudicum deferantur. Absurdum igitur fuerit, maiora delicta a iudicantibus pœnam sustinere, neque credi tales esse singulos hos, nisi iudex sententiam tulerit, adulterum uero solum cadere inexquisitare, quem in iudicium uocari præ cæteris eò magis oportebat, quo crimen istud inferius est alijs. **OBIECTVM II.** Quid uero refert interfici adulterum an tradi iudicibus? cum pariter ex utroq; mors obeunda sit. **SOLVTIO.** Quantum interest inter tyrannum & leges, & quantum discrepat genus populare a regio. Tyranni enim est, è medio tollere quem uoluerit, Legum autem mortis afficere iusta pœna conuictos. Ac populus quidem quæcunq; concione coacta considerauerit, ea proponit existimanda & probanda, Vnius autem dominatio supplicio illa quidem afficit, sed existimationem & inquisitionem non simul etiam adhibet. Quæ cuncta populus & leges contraria ratione administrant, atque is qui solus principatum tenere & dominari in animum induxit. Quomodo igitur nihil refert interfici adulterum an tradi iudicibus? Præterea

## PROGYMNAS.

etiam: Qui interfecerit ipse sibi adulterum, sibi ipsi in eum, qui facinus patrauit, dominationem uendicat. Qui uero illum iudici tradiderit, is omnem in eum potestatem penes iudicium esse uult. Præstat autem certè, potestatem omnem penes eos esse, qui iudicant, quam penes accusatorem. Iam qui interimit ipse sibi adulterum, suspicionem commouet quod alterius rei gratia interfecerit. Qui uero ad iudicandum exhibet, solo iure niti uidetur. **OBIECTVM III.** Sane, inquit. Supplicium tamen dabit grauius repentina cæde. Nam lucrifaceret tempus quo iudicium differretur. **SOLVATIO.** Immo contrarium ei accidet, si iudicium de ipso fiat. Vitam enim in illa mora magis anxiam traducet. Nam expectare malum quod perpetiare, tristius est, quam illud pertulisse. Et dilatio supplicij cumulabit pœnam. Sæpius interit, quisquis se esse interiturum arbitratur, eritq; huic acerbior experimento opinio. Itaq; repente occumbens adulter, occubuisse se non sentit, celeritasq; supplicij fallit sensum. Vacat dolore mors, quæ anteuertit euentus opinionem: Cogitata uero sæpius & semel oblata, cogitatione supplicia mentitur. Hæc igitur propter se collocata mutuo respectu intuere. Qui ipse sibi interimit adulterum, is testem supplicij nullum, sed qui illum tradit iudicibus, multos testes iustæ pœnæ facit. Plus autem doloris est supplicio eiusmodi, cuius executio testes complures habet. Atq; expediet adeo adulteris interitus occultus. Relinquent enim unlgò suspicionem, quod inimicitiaë causam exitij

## APHTHONII.

exitij dederint. Sin coarguendo facinoris conuicti fuerint, ita interemtus pœnam sine ambiguitate iustam sustinebit. Quapropter multum referet, ab ipso ne aliquo adulter depræhensus clam interimatur, aut tradatur iudicib. **OBIECTVM IIII.** Facinus atrox adulterij est, & transgrediendo omnia delicta superat. **SOLVTIO.** Coarguatur igitur prius, & deinde adulter oppetat mortem, & in ius adducatur potius, quam ante iudicationem, pœnam sufferat. Si tanquam adulter interimatur, ita præbebit certiore sobolem. Non enim deinde ulli liberi, quosnam parentes habeant, dubitaturi sunt, ubi adulteri reliqui esse desierint. Communem naturam istud flagitium uiolat: Itaq; communis sententia iudicum existens illud amoliatur. Atque ego uereor ne, si ignoretur quare adulter interfectus sit, multos similes ille sui alios relinquat. Dum enim nescitur, ob quod facinus aliquis intereat, qui imitentur alij non sunt defuturi. Atque ita pœna ista non finiet scelus libidinis, sed inchoabit.

**FINIS APHTHONII**  
progymnasmatum.

Ordine peruenies, quo non licet ire labore:  
Fac igitur discas ordine, doctus eris.



FABVLA DE CANE EX  
secundo lib. Xenophontis, ne  
columna vacaret, addita.

QVO tempore animantes vocales fuere, ouem  
ferunt dixisse domino suo: Rem facis mirabilem, qui  
nobis tibi lanam, agnos, caseum suppeditantibus nihil  
attribuis, nisi quantum ex terra ipsæ carpimus, At ca-  
nem, qui istorum nihil suppeditat, participem facis cibi,  
quo tu ipse vesceris. Hæc cum canis audiuiisset: Ita  
profecto, dixisse. Ego enim is sum, qui vos saluos &  
incolumes præsto, ne vel hominum furtis, vel rapinis  
luporum pereatis. Nam nisi custodia mea vobis præst-  
dio sit, ne ad pabula quidem prodire, præ exitij metu  
possitis. Atq; ita narrant oues facile esse passas, vt plus  
quam sibi honoris cani haberetur.

CHRIA SVBIECTA RA-  
tione, ex Plutarcho.

VEL Diogenes, vel Antisthenes dicere solebat,  
Ei, qui saluus incolumisq; esset futurus, contingere o-  
portere aut bonos amicos, aut inimicos inflammatos  
odijs. Illos enim docendo, hos coarguendo instruere.



# QVID RHE- TORICA SIT, ET

VNDE DICTA.



**R**HE TORICA quam  
Oratoriam aliqui nomi-  
nant, est bene dicendi  
scientia, in quaestione ci-  
uili. Deducitur autem  
*αὐτὸ τοῦ ῥέω* siue ῥῶ, per con-  
tractionem, uerbo inusitato, quod significat dico.

## QVID ORATOR, ET quod eius officium.

**O**Rator est vir bonus, dicendi perit-  
us: Vel, qui, quaecumq; res inciderit, quae sit  
dictione explicanda, prudenter & compositè &  
ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiam actio-  
nis dignitate. Cuius officium est, de his rebus posse  
dicere, quae res ad usum civilem moribus ac legibus  
constitutae sunt, cum assensione auditorum, quoad eius  
feri poterit.

## QVASNAM RES ORA- torem oporteat recipere.

A

Recipit

# COMPENDIUM

**Demonstratiuum**, vt laudatiuum, quod attribuitur alicuius certae personae laudem, vel vituperium. Cuius finis honestas est, uel turpitude. Graeci nominant  $\epsilon\pi\iota\delta\epsilon\iota\kappa\tau\iota\kappa\omicron\mu$  vel  $\epsilon\gamma\kappa\omega\mu\iota\alpha\varsigma\iota\kappa\omicron\mu$  vt ait Quintilianus.

Recipit causarum, vel ut alij vocant, consilium quaestionum aut causarum genera tria:

**Deliberatiuum**, quod in consultatione positum, habet in se suasionem & dissuasionem. Cuius finis utilitas. Graeci  $\delta\epsilon\lambda\epsilon\beta\epsilon\tau\iota\kappa\omicron\mu$  appellant, &  $\sigma\upsilon\mu\beta\upsilon\lambda\omicron\upsilon\tau\iota\kappa\omicron\mu$ .

**Iudiciale**, quod in controuersia positum, habet accusationem, aut petitionem cum defensione. Cuius finis est aequitas. A Graecis  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\tau\iota\kappa\omicron\mu$  vocatur.

## DE PARTIBVS RHETORICES.

Rhetoricæ partes sunt quinque.

- I.** Inuentio, Est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddant.
- II.** Dispositio, Est ordo, & distributio rerum, quæ demonstrat, quid quibus in locis sit collocandum.
- III.** Elocutio, Est idoneorum verborum & sententiarum ad inuentionem accommodatio.

III, Msc

*Topica Argomenta quæ in Rhetorica per se sunt accepta profundè*

## RHETOR. CICER.

III. Memoria, Est firma animi, rerum, & verborum dispositionis perceptio.

V. Pronunciatio, Est vocis & vultus, & gestus moderatio cum venustate.

### QVOMODO VIM DICENDI poterimus assequi.

*Omnia dicta modis tribus assequemur.*

Arte, quæ dat certam viam, rationemq; dicendi.

Imitatione, qua impellimur cum diligentè ratione, vt aliquorum similes in dicendo volumus esse.

Exercitatione, quæ est assiduus vsus consuetudoq; dicendi. Cicero alibi sic ait: Dicendū homines, vt dicant efficere solent. Caput autem est, quod, vt vere dicam, minimè facimus (est enim magni laboris, quem plerumq; fugimus) quàm plurimum scribere. Stilus optimus & præstantissimus dicendi effector, ac magister.

### DE INVENTIONE.

Inuentionis partes sunt.

I. Exordium, Est principium, per quod animus auditoris uel iudicis constituitur, vel apparatus ad audiendum.

II. Narratio, Est rerum gestarum, aut perinde vt gestarum expositio.

III. Dispositio

## COMPENDIUM

**III.** Diuisio, est, per quam aperimus quid conueniat, quid in controuersa sit, & per quam exponimus, quibus de rebus sumus dicturi.

**IIII.** Confirmatio, est nostrorum argumentorum expositio, cum asseueratione.

**V.** Confutatio, est contrariorum locorum dissolutio.

**VI.** Conclusio, est artificiosus orationis terminus.

## DE EXORDIIS.

Exordia  
diorum  
duo  
sunt  
genera.

Principium, quod Græcè προοίμιον, est cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum, idque apertis rationibus, ut attentos, ut dociles, ut beneuolos auditores habere possimus.

Insinuatio, Græcè ἐπιποθεσις, est oratio quadam dissimulatione, et circuitione obscure subiens auditoris animum, eademque omnia, que proceratione, occulte conficiens.

## DE CAUSARVM GENERIBUS.

Quatuor sunt genera causarum, ad quæ omnis exordiorum ratio est accommodanda.

**I.** Honestum est, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur, aut id oppugnamus, quod

## RHETOR. CICER.

quod ab omnibus videtur oppugnari debere. Hic licet  
bit rectè vel vti, vel non vti principio.

II. Turpe est, cum aut honesta res oppugnatur,  
aut defenditur turpis. Hic ab insinuatione exordie=  
mur, nisi quid nacti fuerimus, quare aduersarios cri=  
minando, benevolentiam captare possimus.

III. Dubium, quod habet in se honestatis & tur=  
pitudinis partem. In hoc genere principium à bene=  
uolentia constauerimus, ne quid illa turpitudinis pars  
nobis obesse possit.

III. Humile, cum contempta res effertur, in quo  
faciemus attentos

**QVOMODO ATTENTI,**  
dociles, ac beneuoli sint audi=  
ditores faciendi.

Audito=  
res facie=  
mus

Attentos, si pollicebimur nos de rebus  
magnis, nouis, inusitatis verba factu=  
ros, aut de ijs rebus, quæ ad Rempub.  
pertineant, aut ad eos ipsos, qui audi=  
unt, aut ad Deorum immortalium reli=  
gionem: & si rogabimus, vt attente au=  
diant: & si numero exponemus, quibus  
de rebus dicturi sumus.

Dociles, si summam causæ breuiter ex=  
ponemus, & si attentos eos faciemus.  
Nam docilis est is, qui attente vult au=  
dire.

Bene=  
uolentiam

## COMPENDIUM

**N**ostra, si nostrum officium sine arrogantia laudabimus, aut in Remp. quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut eos ipsos, qui audiunt, aliquid referemus, dummodo hæc omnia ad ipsam rem, de qua agitur, sint accommodata. Item, si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem. Estsi orabimus, ut nobis sint auxilio, & simul ostendemus, in alijs spem nos habere noluisse.

**A**dversariorum, si eos in odium rapiemus, hoc est, si quid eorum spurcè, superbe, perfidiosè, crudeliter, confidenter, malitiosè factum proferemus. Item si eos in invidiam trahemus, adversariorum vim, potentiam, factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, affinitates proferendo, & his adiumentis magis, quam virtuti eos confidere aperiendo. Item, si in contemptum adducemus: quod fiet, si inertiam, ignaviam, desidiam, luxuriam adversariorum proferemus.

**A**uditorum, si res eorum fortiter, sapienter, mansuetè, magnificè iudicatas proferemus, & si quæ de his existimatio, quæ iudicij expectatio sit, aperiemus.

**A** rebus ipsis, si nostram causam laudando extollemus, adversariorum per contemptum deprimemus.

Qualis

Benevolos quatuor modis & persona:

RHETOR. CICER.

QUALITER INSINUATIONE  
ne vtendum, & quando.

Tria sunt tempora, quibus non  
principio, sed insinuatione  
vtendum.

I. Cùm turpem causam habemus, hoc est, cùm ipsa res animum auditoris à nobis alienat, tum exoriri poterimus his rationibus: hominem, non rem: aut rem, non hominem spectare oportere: non placere nobis ipsis, quæ facta dicantur ab aduersarijs, & esse indigna, & nefaria. Deinde rem cùm diu auxerimus, nihil simile à nobis factum ostendemus, aut aliquorum iudicium de simili causa, aut de eadem, aut de minore, aut de maiore proferemus, Deinde ad nostram causam pedetentim accedemus, & similitudinem conferemus. Item, si negabimus nos de aduersarijs, aut de aliqua re dicturos: & tamen occultè dicemus, interiectione verborum.

II. Cum animus auditoris persuasus esse videatur, ab his, qui antè dixerunt. Ergo, si fidem factam putabimus, his nos rebus insinuabimus ad causam, si de eo, quod aduersarij firmissimum sibi adiumentum putauerint, primum nos dicturos pollicebimur: aut ab aduersarij dicto exordiemur, Et ab eo maxime quod ille nuperrime dixerit, Aus dubitatione vtemur, quid potissimum

## COMPENDIUM

potissimum dicamus, aut cui loco primum respondeamus cum admiratione.

III. Cùm defessus est eos audiendo, qui antè dixerunt, exordiri poterimus ab aliqua re, quæ risum mouere possit, vt ab apologo, fabula, verisimili, imitatione, deprauatione, inuersione, ambiguo, abiectiōe, suspiciōe, stultitia, exuperatione, collatione, literarum mutatione: præterea expectatione, nouitate, historia, versu, aut ab alicuius interpellatione, aut arrisione. Et si promiserimus aliter, ac parati fuerimus nos esse dicturos, nos non eodem modo vt cæteri soleant verba facturos: quid aliij soleant, quid nos facturi sumus breuiter exponemus.

## QVÆ IN BONIS EXORDIIS seruanda.

In exordienda causa seruandum est, vt lætus sit sermo, vt vsitata verborum consuetudo, vt non apparatus videatur oratio. Sententiarum quidem & grauitatis plurimum debet exordium habere, sed splendoris & festiuitatis, & concinnitudinis minimum, propterea quod ex his suspicio quedam apparationis atq; artificiosæ diligentiae nascitur, quæ maxime orationi fidem, oratori dignitatem vel auctoritatem adimit.

## DE VITIOSIS EXORDIORUM generibus,

Vitiosorum

## RHETOR. CICER.

Vulgare, quod in plures causas potest ad commodari. (potest vti.)

Commune, quo nihilominus aduersarius

Commutable, quod ab aduersario potest leniter mutatum, ex contraria parte dici, vel quod aduersarius in suam vtilitatem deflectere potest

Longum, quo pluribus verbis aut sententijs, ultra quam satis est, producitur.

Apparatum, quod nimium splendidis et affectatis verbis compositum.

Separatum, quod non ex ipsa causa ductum, nec sicut aliquod membrum annexum orationi.

Translatum, quod aliunde tractum, efficit aliud, quam genus sue cause postulat.

Contra precepta, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordijs precepta traduntur.

## DE NARRATIONE.

Narrationum tria genera sunt.

I. Ciuile, quo exponimus rem gestam, et vnumquodque trahimus ad vtilitatem nostram, vincendi causa.

II. Digressorium, quod intercurrit nonnunquam, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicuius apparationis, vel laudationis causa.

III. Remotum, quod a ciuili causa seiunctum est, in quo tamen exerceri conuenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus.

Eius

Viriosorum exordiorum genera octo

## COMPENDIUM

Eius narrationis duo sunt genera.

Vnum, quod  
in negotijs  
positum, ha-  
bere debet

Fabulam, quæ neq; veras, neq; ve-  
rissimiles continet res, vt æe, quæ  
Tragœdijs traditæ sunt.

Historiam, quæ res gesta est, sed  
ab ætatis nostræ memoria remota.

Argumentum, est ficta res, quæ  
tamen fieri potuit, velut argumenta  
Comœdiarum.

Alterum,  
quod in per-  
sonis collo-  
catum, quod  
recipit

Sermonis festiuitatem, animi  
dissimilitudinem, grauitatem, leni-  
tatem, spem, metum, suspitionem,  
desiderium, dissimulationem, mise-  
ricordiam, rerum varietates, for-  
tunæ commutationem, insperatum  
incommodum, subitam letitiam,  
iucundum exitum rerum.

## DE NARRATIONVM virtutibus.

Narrationem, quæ pertinet ad ver-  
ritatem, oportet tres ha-  
bere res.

I. Vt breuis sit: Breuiter autem narrare pote-  
rimus, si inde incipiemus narrare, vnde necesse erit.

σ β

## RHETOR, CICER.

Et si non ab ultimo initio repetere volumus: Et si summam, non particulatim narrabimus: Et si non ad extremum, sed usque eò, quò opus erit, prosequemur: Et si transitionibus nullis utemur: Et si non deerrabimus ab eo, quod coepimus exponere: Et si exitus rerum ita exponemus, ut antè quoque quæ facta sunt, scire possint, tametsi nos reticuerimus. Et omnino non modo id quod obest, sed etiam id, quod neque obest, neque adiuuat, satius est præterire. Et ne bis, aut sæpius idem dicamus cauendum est etiam, ne id, quod semel supra diximus, deinceps dicamus.

**II. Ut dilucida sit.** Rem autem dilucidè narrabimus, si ut quicque primum gestum erit, ita primum exponemus, Et rerum Et temporum ordinem conseruabimus, ut gesta res erunt, aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbatè, ne quid contortè, ne quid ambiguè, ne quid nouè dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longè prosequamur, ne quid quod ad rem pertineat, prætereamus: Et si persequemur ea, quæ de breuitate præcepta sunt. Nam quo breuior, eò dilucidior, Et cognitu facilior narratio fiet.

**III. Ut verisimilis sit.** Probabilis autem erit, si ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus, si spacia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum oportunitates constabunt, ne re-

# COMPENDIUM

felli possit, aut temporis parum fuisse, aut causam nul-  
lam, aut locum idoneum non fuisse, aut homines ipsos  
facere, aut pati non potuisse.

## DE DIVISIONE TERTIA inventionis parte.

Divisionis seu partitionis duæ  
sunt partes.

**I. Seiunctio**, est ratio, per quam aperimus, quid  
nobis conveniat cum adversario, ut quid in contro-  
versia sit, seiungatur, hoc modo: Interfectam esse ab  
Oreste matrem, convenit mihi cum adversarijs: iure  
ne fecerit, & licuerit ne facere, id in controversia est,  
Item è contrario: Agamemnonem esse à Clytemne-  
stra occisum confitentur, cum id ita sit, me vlcisci pa-  
rentem negant oportuisse.

**II. Distributio** est, qua exponimus, quibus de  
rebus dicturi sumus.

**Expositio**, est oratio, qua exponimus res, de  
quibus dicturi sumus breviter & absolute,  
sine enumeratione.

**Enumeratio**, qua exponimus numero, quot  
de rebus dicturi sumus, Eam dicunt oportere  
trium partium numero esse. Periculosum e-  
nim esse, ne quando plus minusq; dicamus,  
& suspicionem offerat auditori meditationis

Eius partes duæ sunt:

# RHETOR. CICER.

Et artificij. Quæ res fidem abrogat Oratori. Attamen hoc numero velut lege, non est alliganda, cum possit causa plures desiderare, ut ait Quintilianus.

## DE CONFIRMATIONE AC Confutatione, quarta & quinta Inventionis partibus.

Omnes res confirmantur ex ijs,  
quæ dicuntur.

à perso-  
nis quæ  
cōtinent

Genus, nationem, patriam, sexum, etatē,  
educationem, habitum, fortunam, cōditio-  
nem, naturam, studium, affectionem, antè  
dicta, uel acta, consilium, nomen &c.

Cum ipso negotio continentia, quæ ha-  
bent summum causæ, quid antè factum,  
quid in re factum, quid post factum.

à nego-  
cijs, quo-  
rum alia  
sunt

In negocij ge-  
stione, in qua

Causa, in qua impul-  
sio & Ratiocinatio.

LOCUS, frequens, de-  
sertus: propinquus, lon-  
ginquus: superior, in-  
ferior: profanus, sa-  
cer: consitus, incultus:  
publicus, priuatus.

Tempus, in quo oc-  
casio

## COMPENDIUM

casio, quæ distribuitur in publicum, commune, singulare.

Modus, in quo prudentia & imprudentia.

Facultas, quæ habet instrumenta, rerum copiam, antecedentia, res antea actas, signa &c.

**Ab argumentis generalibus, quæ sumuntur ab utili, iusto, legitimo, honesto, iucundo, facili, possibili, necessario, simili, contrario &c.**

**Ab argumentis extrinsecus in causam adductis, quæ trahuntur à testamentis, iureiuramento, tabulis, rumoribus, testibus, iconibus, & signis, oraculis, religione, præiudicijs.**

**Item ab argumentis, quæ trahuntur à finitione, proprio, etymologia, partitione, genere, specie, diuisione, contrarijs, repugnantibus, adiunctis, coniugatis, effectibus, comparatis, imagine, collatione, exemplis, & similibus.**

## DE CONFVTATIONE.

Confirmationis atq; refutationis conditio similis est. Neq; enim ex alijs locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quam in confirmatione

# RHETOR. CICER.

firmatione Nec locorum, aut sententiarum, aut verborum, & figurarum alia conditio est. Adfectus tamen hæc pars mitiores habet. Porro tota spes vincendi, ratioq; persuadendi posita est in confirmatione & confutatione. Nam cum adiumenta nostra exposuerimus, contrariaq; dissoluerimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus. Vtrunq; igitur facere poterimus, si constitutionem cause cognoverimus.

## DE CAUSARVM CON=stitutionibus.

Constitutio est prima deprecatio defensoris, cum accusatoris insimulatione coniuncta.

Constitutiones tres sunt.

- |  |   |
|--|---|
| <b>I. Coniecturalis.</b><br>cuius partes sex :           | [ Probabile, Collatio,<br>] Signum, Argumentum,<br>[ Consecutio, Approbatio.  |
| <b>II. Legitima.</b> quæ<br>diuiduntur in partes<br>sex. | [ Scriptum & sententiam.<br>] Contrarias leges,<br>] Ambiguum,<br>] Definitionem,<br>] Translationem,<br>] Ratiocinationem. |

COMPENDIUM

III. Iuridicialis,  
cuius partes duae:

Aboluta, quae constat:

- Natura, lege,
- Consuetudine, iudicio,
- Aequo, & bono,
- Pasfo.

Assumptiva, cuius partes sunt:

- Concessio Purgatio, & Necessitatem, cuius partes:
  - Fortunam,
  - Imprudentiam,
- Deprecatio.
- Remotio criminis,
- Translatio criminis,
- Comparatio.

RHETOR. CICER.  
LIBER SECVN-  
DVS.

DE CAUSA CON-  
iecturali.

**C**ONIECTVRALIS STA-  
tus est, quum de facto controuersia  
est, hoc modo: Ajax in sylua postquam rescivit,  
quæ fecisset per insaniam, gladio incubuit, Vlysses in-  
teruenit, occisum conspiciatur, è corpore eruentum te-  
lum educit, Teucer interuenit, cum fratrem occisum,  
& inimicum fratris cum gladio videt, capitis arcessit.  
Hic, quoniam coniectura verum queritur, de facto  
erit controuersia, & ex eo constitutio causæ coniectu-  
ralis nominatur, In qua narratio accusatoris suspicio-  
nes interiectas & dispersas habere debet, vt nihil a-  
ctum, nihil dictum, nusquam ventum, aut abitum, ni-  
hil deniq; factum sine causa putetur. Defensoris nar-  
ratio simplicem & dilucidam expositionem debet ha-  
bere, cum attenuatione suspicionis.

DE PRIMA CAUSÆ CON-  
iecturalis parte, Probabili.

Probabile est, per quod probatur expedisse  
reo peccare, & à simili turpitudine hominem nunquam  
abfuisse.

# COMPENDIUM

Probabile diuiditur in

Causam, quæ inducit ad maleficium, commodorum spe, aut incommodorum emitatione.

Hæc habet

Persona  
rum adim-  
sta, quæ  
sunt

( Vita, vi-  
tus, stu-  
dia, fa-  
sta, dista,  
confilia,  
etc.

Impulsionem, Hæc est temerarius impetus animi ad faciendum aliquid temere, ut cupiditas nimia, violentia, iracundia, metus, amor, & omnino omnis perturbatio animi, quæ consilium non admittit.

Ratioinationem, quæ diligens est & considerata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio, ut si quid factum dicitur amicitiæ, gloriæ, pecuniæ, aut alicuius retinendi, augendi, adipiscendive, commodi, aut contrarij, rejiciendi, diminuendi, & deuitandive incommodi causa.

## RHETOR. CICER.

### DE CAUSIS.

In causis quæritur, num quod commodum maleficio reus acquisierit, num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem amoris, aut huiusmodi libidinis voluerit explere. Aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, supplicium. Hic accusatur in spe commodi, cupiditatem ostendet aduersarij. In euitatione incommodi formidinem augebit. Defensor autem negabit causam fuisse, si potuerit, aut eam vehementer extenuabit. Deinde iniquum esse dicet, omnes ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re peruenerit, in suspicionem maleficij deuocari.

### DE PERSONARVM

#### vita.

Vita hominis ex antè factis spectabitur. In quo primùm considerabit accusator, num quando simile quid fecerit. Si id non reperiet, quæretur, num quando venerit in similem suspicionem, & in eo debebit esse occupatus, vt ad eam causam peccati, quam paulò antè exposuerit, vita hominis possit accommodari, hoc modo: Si dicet pecuniæ causa fecisse, ostendet eum semper auarum fuisse: Si honoris, ambitiosum, ita poterit animi vitium cum causa peccati conglutinare. Si non poterit par animi vitium cum causa repertire, reperiat dispar. Si non poterit

## COMPENDIUM

avarum demonstrare, demonstraret corruptorem, vel perfidum, si quoquo modo poterit, quem pecunie causa dicet fecisse. Denique aliquo, aut quam plurimis virtus contaminabit personam. Deinde, qui fecerit illud tam nequiter, eundem hunc tam perperam fecisse non esse mirandum. Si vehementer castus & integer existimabitur adversarius, facta, non famam spectari oportere, illum antea occultasse sua flagitia, se planum facturum, ab eo maleficium non abesse.

Defensor primum demonstrabit vitam integram si potuerit, id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, vim, persuasionem. Aut dicet falsos rumores sparsos de innocente. Rumoribus credi non oportere. Aut extrema utetur defensione, dicens: non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus adversariorum apud iudices dicere.

## DE SECUNDA CONIE-

cturalis constitutionis parte,  
collatione.

Collatio est, cum accusator id, quod adversarium fecisse criminatur, alij nemini, nisi reo bonum fuisse demonstrat, aut alium neminem potuisse perficere nisi adversarium, aut eum ipsum alijs rationibus aut non aequè commodè potuisse, aut eum effugisse alias rationes commodiores propter cupiditatem.

Defensoris erit hoc loco demonstrare, alijs  
quoque

# RHETOR. CICER.

quoq; bonum fuisse, aut alijs quoq; id, quo ipse infimus  
letur, facere.

## DE SIGNO.

**LOCUS**, celebris an desertus, semper de-  
sertus, an tūm, cūm id factum sit: sacer  
an prophanus, publicus an priuatus fu-  
erit, cuiusmodi loci attingantur, num  
qui passus eadem perspetus & exau-  
ditus esse possit?

**Tempus**, qua parte anni, qua hora,  
noctu an interdiu, & qua diei, & qua  
noctis hora factum esse dicatur, & cu-  
iusmodi temporibus?

**Spacium**, satis ne longum fuerit ad eam  
rem transigendam, & potuerit ne scire,  
satis ad perficiendum spacij futurum?

**Occasio**, idonea ne satis fuerit, ad rem  
adoriendam, an alia melior, quæ aut  
præterita sit, aut non expectata.

**Spes perficiendi**, si reliqua signa  
concurrerint, si ex altera parte, vires,  
pecunia, consilium, scientia, apparatus,  
ex altera parte imbecillitas, inopia,  
stultitia, imprudentia, inapparatio, de-  
monstrabitur fuisse.

**Spes cælandi**, ex conscijs, arbitris, ad-  
iutoribus, liberis, aut seruis. DE

In signo  
sex par-  
tes quæ=  
runtur:

COMPENDIUM  
DE ARGUMENTIS.

Argumentum est, per quod res coar-  
guitur certioribus argumentis, & magis  
firma suspitione.

Hic quærun-  
tur tria tem-  
pora.

Præteritum, ubi fuerit, ubi aut quo  
cum visus sit, num quid apparerit,  
num quem conuenerit, num quid di-  
xerit, num quem habuerit de con-  
scijs, adiutoribus, adiumentis, num  
quo in loco præter consuetudinem  
fuerit, aut alieno tempore.

Instans, num visus sit cum faciebat,  
num qui strepitus, clamor, crepitus  
exauditus sit, num quid aliquo sen-  
su perceptum, aspectu, auditu, ta-  
ctu, odore, gustatu.

Consequens, num quid re transa-  
cta relictum sit, quod indicet, aut  
factum esse maleficium, aut à quo  
factum sit.

DE CONSECVTIONE.

Consecutio est, cum quæritur, quæ  
signa nocentis & innocentis consequi  
soleant.

Accusator dicet, si poterit, aduersarium, cum  
ad eum

## RHETOR. CICER.

ad eum ventum sit, erubuisse, expalluisse, titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, pollicitum esse aliquid, quæ signa conscientia. Si reus horum nihil fecerit, dicet eum vsq; adeo præmeditatum fuisse, quid sibi esset vsui futurum, vt confidentissimè resistens responderet, quæ signa confidentia, non innocentia sunt.

Defensor, si pertimuerit, magnitudine periculi, non conscientia peccati, commodum esse dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit esse commotum.

## DE APPROBATIONE.

Approbatio est, qua vtimur ad extremum confirmata suspitione.

Proprii, quibus nisi accusator potest vti, & ij, quibus nisi defensor. Accusatoris proprius est locus, cum dicit: Malorum misereri non oportere, & cum auget criminis atrocitatem. Defensoris, cum misericordiam captat, & cum accusatorem calumniari criminatur.

Communes sunt, quum alia in causa ab reo, alia ab accusatore tractantur, Sunt autem communes cum accusatoris, tum defensoris loci. A testibus, contra testes. A quaestionibus, contra quaestiones. Ab argumentis, contra argumenta. A rumoribus, contra rumores.

In ea sunt loci.

DE

COMPENDIUM  
DE LEGITIMA CON-  
stitutione.

Legitima constitutio est, cum in scripto  
aut ex scriptis aliquid controuersia na-  
scitur.

Ea diuiditur  
in sex partes. { Scriptum & sententiam,  
| Contrarias leges,  
| Ambiguum,  
| Definitionem,  
| Translationem,  
| Ratiocinationem.

DE SCRIPTO ET  
sententia.

Ex scripto & sententia nascitur controuersia,  
cum videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dis-  
sentire, ut in Oratione pro A. Cluentio, ubi aduersa-  
rij legis sententiam ad omnes ciues Romanos trahere  
nituntur. Cicero verò in legis scripto persistit, quod  
solum de senatorij ordinis hominibus loquitur.

DE SCRIPTO.

A scripto dicturi, secundum narrationem ar-  
gumenta sumemus.

A scriptoris collaudatione.

A scri-

## RHETOR. CICER.

**A** scripti recitatione.

**A** Percunctatione, Scirent ne aduersarij id scriptum fuisse in lege, aut testamento, aut stipulatione.

**A** Collatione, Quid scriptum sit, quid aduersarij se fecisse dicant, quid iudicem sequi conueniat, vtrum id, quod diligenter perscriptum sit, an id quod acute sit excogitatum.

**A** Contemptione, & infirmatione eius sententiae, quae ab aduersarijs excogitata, & scripto attributa.

**A** Quaestione, Qua rogabimus, quid ei obsuerit si id voluisset scribere, vt non potuerit perscribere.

**A** sententia & causa, Quare id scriptor senserit, quod scripserit. Demonstrabitur autem id esse scriptum dilucide, breuiter, commodè, perfectè, certa cum ratione.

**Ab** exemplis rerum, Quae, cum aduersarijs sententia redderetur, & voluntas adferretur, a scripto potius iudicatae sint.

**Ab** Ostensione periculi, Quod a scripti recessione dicemus oboriturum.

**A** Loco communi, contra eum, qui cum fateatur se contra id quod legibus sancitum est, aut testamento perscriptum sit, fecisse, tamen facti quærat defensionem.

### DE VOLVNTATE,

vel sententia,

A sena

# COMPENDIUM

**A** sententia  
distin-  
ri, secun-  
dam nar-  
rationem  
profere-  
mus.

**S**criptoris laudem, quod commodus atq; brevis id totum scripserit, quod necesse fuerit. Illud, quod sine scripto intelligi potuerit, non necessario scribendum putarit. (tatem.

**C**alumniatoris, officium esse, verba et literas sequi, negligere volum-

**I**d quod scriptum sit, aut non posse fieri, aut non lege, non more, non natura, non bono et aequo posse fieri. Quae omnia voluisse scriptorem quae rectissime fieri nemo dubitet. At ea quae nobis facta sunt, iustissime facta.

**C**ontrariam sententiam, aut nullam esse, aut stultam, aut iniustam, aut non posse fieri, aut non constare cum superioribus et inferioribus sententiis, aut cum iure communi, aut cum alijs legibus communibus. aut cum rebus iudicatis dissentire. (dicatorum.

**E**numeracionem exemplorum, a voluntate, et contra scriptum in-

**A**dduccionem legum, et stipulationem breuiter exceptarum, in quibus intelligatur scriptorum voluntas, et expositio.

**L**ocum communem, contra eum, qui scriptum recitet, et voluntatem scriptoris non interpretetur. **DE**

RHETOR. CICER.  
DE CONTRARIIS  
Legibus.

Ex contrarijs legibus controuersia  
constat, cum alia lex iubet, aut permit-  
tit, alia vetat quippiam fieri.

Contrarias  
leges sic ab-  
soluemus :

Videbimus, num quæ abrogatio,  
vel derogatio sit, & num ita dissenti-  
ant: ut altera iubeat, altera uetet: an  
ita ut altera cogat, altera permittat.

Vtemur nostræ legis expositione,  
recitatione, collaudatione.

Enodabimus legis contrariæ vo-  
luntatem, & eam trahemus ad nostræ  
causæ commodum.

Sumemus de iuridiciali absoluta  
rationem iuris, & quæremus partem  
iuris, ac cum ea faciat.

DE AMBIGVO.

Ex ambiguo controuersia nascitur,  
quum scriptum duas aut plures res signi-  
ficat.

C

In cuius

In cuius tra=  
 ctatione que=  
 rendum &  
 ostendendum,

Sit ne ambiguum,  
 Quomodo, vel quan  
 do scriptum esset, si id  
 quod aduersarij inter=  
 pretantur, scriptor fi=  
 eri voluisset.

Id quod nos inter=  
 pretemur, & feri  
 posse, & honestè, re=  
 stè, lege, more, na=  
 tura, bono, & equo.  
 Quod aduersarij in=  
 terpretantur è contra=  
 rio.

DE DEFINITIONE.

Ex definitione causa constat, cum in con  
 trouersia est, quo nomine factum appelle  
 tur.

Qua  
 vsuri

Adferemus breuem vo  
 cabuli definitionem &  
 sententiam breuiter, &  
 ad utilitatem accommo  
 datam cause describe  
 mus.

Coniungemus factum  
 nestrum cum verbi des  
 criptione.

Refellemus contrarie  
 descriptionis rationem,  
 si aut falsa erit, aut ina  
 utilis, aut turpis, aut  
 iniuriosa.

RHETOR. CICER.

DE TRANSLATIONE.

Ex Translatione controuersia nascitur, cum aut tempus differendum, aut accusatorem mutandum, aut iudices mutandos reus dicet.

Hic erit querendum: { Num aliquis eius rei actionem, petitionem, aut executionem habeat, quem non oporteat.  
Num alio modo, tempore, loco, lege.  
Num alio quærente, aut agente. Quæ omnia legibus, & moribus, equo & bono reperientur.

DE RATIOCINATIONE.

Ex Ratiocinatione controuersia constat, cum res sine propria lege venit in iudicium, quæ tamen ab alijs legibus similitudinem quandam aucupatur.

In hac queretur: { Ecquid in rebus maioribus, aut minoribus, aut similibus, similiter scriptum, aut iudicatum sit.  
Vtrum ea res similis sit ei rei, de qua agitur, an dissimilis.  
Vtrum consultò de ea re scriptus, non sit, quod noluerit cauere, an quod satis cautum putarit, propter cæterorum scriptorum similitudinem.

COMPENDIUM  
DE IURIDICIALI  
constitutione.

Constitutio iuridicialis est, quum factum conuenit, sed iure, an iniuria factum sit, quæritur. Vel in qua æqui, & iniqui natura, & præmiū, aut poenæ ratio quæritur.

DE IURIDICIALI  
absoluta.

Iuridicialis absoluta est, quum id ipsum quod factum est, ut aliud nihil foris assumatur, rectè factum esse dicemus. Hæc non implicite, nec abscondite, sed patentius, & expeditius recti & non recti quæstionem continet.

Cuius

# RHETOR. CICER.

**Naturæ ius**, quod cognationis aut pietatis causa obseruatur, quo iure parentes à liberis, & à parentibus liberi coluntur. Quod non opinio, sed quædam nobis innata vis inseruit. Diuiditur in religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem.

**Legis ius**, id quod populi iussu sancitum est, quod genus, ut in ius eas, cum uoceris.

**Consuetudinis ius**, id quod sine lege æquè ac si legitimum sit, uisum est.

**Iudicatum est** id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositum, ea sæpe diuersa sunt, ut aliud alij iudici, aut prætori, aut consuli placitum sit.

**Aequi & boni ius**, quod ad ueritatem, & utilitatem communem uidetur pertinere. Quod genus, ut maior annis LX. cognitorem det.

**Pactum**, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iustum putatur, ut iure præstare dicatur.

Cuius partes sunt

DE

COMPENDIUM  
DE IURIDICIALI  
Adsumptiva,

Adsumptiva est, cum per se defensio infirma est, sed adsumpta extranea re comprobatur. vel: Quum ex se factum probari non potest, aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur. Partes habet: Concessionem, Remotionem criminis, Translationem criminis, & Comparationem.

DE CONCESSIONE.

Concessio est, quum reus postulat sibi ignosci, vel: Per quam non factum ipsum improbatur à reo, sed ut ignoscatur, id petitur. Huius duæ sunt partes: Purgatio, & Deprecatio.

DE PURGATIONE.

Purgatio est, quum consultò se negat reus fecisse, quum non factum ipsum, sed voluntas defenditur. Ea habet tres partes: Necessitudinem, Fortunam, & Imprudentiam.

DE NECESSITVDINE.

Necessitudo infertur, quum vi quadam reus id quod fecerit, fecisse defenditur.

In qua

## RHETOR. CICER.

In qua consi-  
derandum erit

Num per culpam uentum sit in ne-  
cessitudinem, num culpam uenien-  
di necessitudo fecerit.

Ecquo modo uis illa uitari potue-  
rit, aut leuari.

Expertus ne sit, qui in hanc cau-  
sam confert, quid contra facere,  
aut excogitari possit.

Num quæ suspiciones ex coniectis  
rati trahi possint, quæ significant  
id consulto factum esse.

Si maximè necessitudo quæpiam fu-  
erit, conueniat ne eam idoneam sa-  
tis causam putari.

## DE FORTVNA.

Fortuna vel casus inferetur in Concessionem,  
quum demonstrabitur aliqua vis fortunæ uoluntati  
obstitisse. Hic eadem omnia uidentur consideranda,  
quæ de necessitudine præscripta sunt.

## DE IMPRVDENTIA.

Imprudencia est, quum sciuisse aliquid is, qui  
arguitur, negatur.

## COMPENDIUM

In qua  
quære-  
tur.

Vtrum potuerit scire, an non potuerit?  
Vtrum data sit opera, ut sciretur, an  
non? Vtrum casu nescierit, an culpa.  
Nam qui se per uinum, aut amorem,  
aut iracundiam fecisse dicet, is animi  
uitis uidebitur nescisse, non impruden-  
tia, quare non imprudentia se defen-  
det, sed culpa condemnabitur.

EX coniecturali constitutione. Vtrum  
scierit, an ignorauerit. Et satis ne im-  
prudencia præsidij debeat esse, quum  
factum esse consiet.

## DE COMMVNIBVS HA- rum causarum locis.

Loci com-  
munes

Accusatoris est, confessio contra e-  
um, qui quum peccasse confiteatur, ta-  
men oratione iudices moretur.

Defensoris est conuictio calamita-  
tis. Dicet humanitatē, misericordiam,  
uoluntatem in omnibus rebus spectari  
conuenire, & quæ consultò facta non  
sint, in ijs fraudem esse non oportere.

## DE PARTE CONCES- sionis altera, Deprecatione.

Depre-

Deprecatio est, cum & peccasse, & consulto fecisse confitetur, & tamen postulat, ut sui misereatur. Vel in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. Locum habet in senatu, et apud populū, et apud principem, et ubicunq; iuris est clementia, ut ait Quintilianus. Vtemur autem ea, cum fatebimur nos peccasse, neq; id imprudenter, aut fortuito, aut necessario fecisse dicemus, & tamen ignosci nobis postulabimus.

Hic igno=  
scendi ra=  
tio qua=  
ritur ex  
his locis:

- DE
- Si plura aut maiora officia, quam maleficia videbuntur consistere.
- Si qua virtus, aut nobilitas erit in eo, qui supplicabit.
- Si qua spes erit usui futurum, si sine supplicio discesserit.
- Si ipse ille supplex, mansuetus et misericors in potestatis ostendatur fuisse.
- Si ea, qua peccavit, non odio, non crudelitate, sed officio, & certo studio commotus fecit.
- Si tali de causa, alijs quoq; ignotum sit.
- Si nihil ab eo periculi nobis futurum videbitur, si eum missum fecerimus.
- Si nulla, aut à nostris civibus, aut ab aliqua civitate vituperatio, ex ea re suscipietur.
- CS

COMPENDIUM  
DE COMMVNIBVS

huius causæ locis.

LOCUS communis Defensoris, de Humanitate,  
Fortuna, Misericordia, Rerum commutatione.

Accusator omnibus his locis vtetur ex contra-  
rio cum amplificatione et enumeratione peccatorum.

DE REMOTIONE  
criminis.

Ex remotione criminis causa constat, cum de  
vobis non crimen, sed culpam ipsam amouerimus.

Id fit biperti-  
to. Nam cau-  
sa peccati re-  
mouetur uel in

Homini-  
nem,  
Hic quæ  
rendum:

Potuerit ne tantum, DE  
quantum reus demon-  
strabit is, in quem cau-  
sa conferretur.

Quoniam modo, aut ho-  
neste, aut sine periculo  
potuerit obfistere.

Si maxime ita fit, num  
ea re concedi reo con-  
ueniat, quod alieno in-  
dustria fecerit.

Rem,  
Hic eadē  
rō factum sit.  
Ex coniecturali con-  
trouersia, num consul-  
trō factum sit.

frē, et omnia quæ de necessitudine  
praecipimus, consideranda sunt.

RHETOR. CICER.  
DE TRANSLATIONE  
criminis.

Translatio, quum fecisse nos non negamus,  
sed aliorum peccatis coactos esse dicimus.  
In hac quærendum est.

Verène in alium crimen  
transferatur.

An æquè magnum sit il-  
lud peccatum, quod in ali-  
um transferatur, atq; quod  
reus suscepisse dicatur.

Oportuerit ne in ea re  
peccare, in qua alius antè  
peccarit.

Oportuerit ne iudicium  
ante fieri.

Quum factum iudicium  
non sit, de illo crimine, quod  
in alium transferatur, oportet  
ne de ea re iudicium fi-  
eri, quæ res in iudicium non  
uenerit.

DE LOCIS HVIVS CON-  
trouersia communibus.

*Loci communes.*

Accusatoris. Hic dicit  
plus uim, quam iudicia uale-  
re oprtere, percunstabitur,  
quid futurum sit, si idem cete-  
ri faciant, ut de indemnatis  
supplicium sumant, quod eos  
idem fecisse dicat: Quid si ip-  
se accusator idem facere non  
luisset?

Defensoris: Hic eorū pec-  
cati atrocitatem profert, in  
quos crimē transferetur rem,  
locum, tempus ante oculos  
ponet, ut ij, qui audient, exi-  
siment aut non potuisse, aut  
non fuisse utile rem in iudicia-  
um uenire.

DE

COMPENDIUM  
DE COMPARATIONE.

Comparatio, cum dicemus necesse fuisse, alterum facere, & id quod fecerimus, satius fuisse facere.

Utrum fuerit utilius ex contentione, hoc est, utrum uenustius, facilius, conducibilius.

Ipsam oportueritne indicare, utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit utilius statuendi potestas.

Ecqua sit ex coniecturali suspicio, quare putetur non ea ratione factum esse, quo melius deteriori anteponeretur, sed dolo malo negotium gestum.

Potueritne uitari, ne in eum locum ueniretur.

Hi loci a defensore tractabuntur ex contrario, ac refelletur argumentatio coniecturalis.

DE LOCIS COMMUNIBUS.

Accusator in eum, qui inutile utili praeponuerit, quum statuendi non habuerit potestatem.

Defensor per conuersionem, contra eos, qui aequum censeant, rem perniciosam utili praeponi. Simul quaeret ab accusatoribus & a iudicibus ipsis, quid facturi essent, si in eo loco fuissent? & tempus, locum, rem, deliberationem suam ponet ante oculos.

VNDE

Hic queri conuenit:

Loco communi utitur.

RHETOR. CICER.

VNDE NASCATVR  
constitutio.

Ex hisce duabus inter se concurrentibus uoci-  
bus, Inuentione & Depulsione nascitur quæstio, quæ  
dicitur, Status siue Constitutio.

Est autem Intentio, eius facti obiectio, quod in  
iudicium venit. Dupulsio contraria est obiectioni, id  
est, intentioni resistens oratio, siue negatio.

QVOMODO INVE=  
nienda iudicatio.

Constitutione reperta statim est quærenda  
Ratio. Inuenta ratione, Firmamentum quærendum  
erit. Iam ex ratione defensionis, & ex Firmamento ac-  
cusationis iudicij quæstio nascitur, quam nos iudicati-  
onem, Græci κριτικὴν ἀποκρίσιν appellant.

Ratio autem est, quæ causam facit, & continet  
defensionem.

Firmamentum, quam alibi uocat infirmationem,  
est, quod accusationem continet, quod adfertur con-  
tra rationem defensionis.

EXEMPLA.

Intentio † Interfecisti matrem Clytemnestram  
Orestes.

Depulsio † Interfeci, sed iure.

Ratio † Illa enim patrem meum Agamem-  
nonem occiderat. Fir

## COMPENDIUM

**Firmamentum:** Sed non abs te filio matrem indemnata[m] occidi decuit.

**Iudicatio:** Cum mater Crestis patrem eius occiderit, iure ne a filio indemnata mater occisa sit.

## ALIUD EXEMPLUM.

**C.** Flaminius inuito senatu, & omnino contra voluntatem omnium optimatum, per sedicionem ad populum legem Agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit. Accersitur maiestatis.

**Intentio:** Maiestatem minuisti, quod tribunum plebis de templo deduxisti.

**Depulsio:** Non minui maiestatem.

**Quæstio:** Maiestatem ne minuerit.

**Ratio:** In filium enim quam habebam potestatem, ea sum usus.

**Rationis infirmitas:** At enim, qui patria potestate, hoc est priuata quadam, Tribunitiam potestatem, hoc est, populi potestatem infirmat, minuit maiestatem.

**Iudicatio:** Minuatne is maiestatem, qui in Tribunitiam potestatem patria potestate utatur.

ALIUD

RHETOR. CICER.

ALIVD EXEMPLVM.

Rhodijs quosdam legarunt Athenas, legatis quaestores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt.

Legati profecti non sunt. Accusantur.

**Intentio:** Proficisci oportuit.

**Depulsio:** Non oportuit.

**Questio:** Oportuerit ne?

**Ratio:** Sumptus enim qui de populo dari solebat, is a quaestore non est datus.

**Firmamentum:** Vos tamen id, quod publice vobis datum erat negotij, conficere oportebat.

**Iudicatio:** Cum ijs, qui legati erant, sumptus debebatur, qui de publico non daretur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem.

**Notabis in Coniecturali nec rationem quaeri, nec Firmamentum. Quare ex Intentione, & Inficiatione**

**Iudicatio constituitur. Vt: Occidisti Aiacem vlysses.**

**Inficiatio: Non occidi. Iudicatio: Occiderit ne.**

DE ARGVMENTATIONIBVS.

**Argumentum est ratio dubiae rei faciens fidem.**

**Argumentatio, est argumenti per orationem explicatio. Vel: Est argumenti tractatio, dilatatio, atque ornatio, vt ait Matvrantius.**

Argua

# COMPENDIUM

## Argumentationis perfectissimæ partes sunt quinque.

**I.** Propositio est, per quam ostendimus summam  
tim quid sit, quod probare volumus, ut causam osten-  
demus Ulyssi fuisse, quare interfecerit Aiacem.

**II.** Ratio, est causa quæ demonstrat id uerum esse,  
quod intendimus, breui subiectione, ut: inimicum e-  
nim acerrimum de medio tollere uolebat, à quo sibi  
cum iniuria summum periculum metuebat.

**III.** Confirmatio rationis est, quæ pluribus  
argumentis corroborat breuiter expositam rationem,  
ut: uidebat illo incolumi, se incolumem non futurum,  
sperabat illius morte, se salutem sibi comparare. Con-  
sueuerat, si iure non poterat, quauis iniuria inimico  
exitium machinari. Cui rei mors indigna Palamedis  
testimonium dat: Ergo & metus periculi hortabatur  
eum interimere, à quo supplicium uerebatur, consue-  
tudo peccandi, maleficij suspiciendi remouebat dubi-  
tationem.

**IIII.** Exornatio est, qua utimur rei honestandæ  
aut locupletandæ causa, confirmata argumentatione,  
ut: *minor* *et maior* Omnes enim cum minima de causa peccata susci-  
piunt, tum verò illa, quæ multo maxima sunt malefi-  
cia, aliquo certo emolumento inducti suscipere conan-  
tur. si multos induxit in peccatum pecuniæ spes, si  
complures scelere se contaminauerunt imperij cupidi-  
tate.

## RHETOR. CICER.

tate. Si multi leue compendium fraude maxima commutarunt, cui mirum uidebitur, istum à maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse? Virum fortissimum, integerrimum, inimicitiarum persecutissimum iniuria laceffitum, ira excitatum, homo timidus, nocens, conscius sui peccati, insidiosus, inimicum incolumem esse noluit, cui tandem hoc mirum uidebitur? Nam, cum feras bestias uideamus alacres, & erectas uadere, ut alteri bestiae noceant, non est incredibile putandum, istius quoque animum ferum, crudelem atque inhumanum cupidè ad inimici perniciem profectum, praesertim cum in bestiis nullam neque bonam neque malam rationem uideamus, in isto plurimas, & pessimas rationes semper fuisse intelligamus.

V. Complexio est, quae concludit breuiter, colligens partes argumentationis, ut: Si ergo pollicitus sum, me daturum causam, qua inductus Vlysses, accesserit ad maleficio, & si inimicitiarum acerrimam rationem, & periculi metum intercessisse demonstravi, non est dubium, quin confiteatur causam maleficij fuisse.

Ergo amplissima est Argumentatio, quinq; partita. Breuissima autem tripartita, quae fit, quum argumentatio breuis & res tenuis atque humilis non opus habent exornatione atque complexione. At Mediocris est quadripartita, omissa uel exornatione, uel com-

## COMPENDIUM

plexione. Quorum illud contingit, cum res parum locuples videtur, ad amplificandum uel exornandum. Hoc, quum res breuis, & memoria comprehendi poterit.

### DE VITIOSIS ARGUMENTATIONIBUS.

Vitiosarum argumentationum duo sunt genera

	Unum, quod ab aduersario reprehendi potest, idq; pertinet ad causam.
	Alterum, quod tametsi negatorium est, tamen non indiget reprehensione.

### DE VITIOSA EXPOSITIONE.

Expositio vitiosa est.

Cum ab aliqua, aut maiore parte, ad omnes confertur id, quod non necessario est omnibus attributum, ut: Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare diuitias, quam officio paupertatem tueri.

Cum id, quod raro fit, fieri omnino negatur, ut: nemo potest, vno aspectu, neq; prateriens in amorem incidere.

Cum omnes res ostendemus nos collegisse, & aliquam rem idoneam prateribimus, ut: Necessse est aut a predonibus aut ab inimicis occisum esse, aut abs te quem ille heredem testamento ex parte faciebatur

Predon

## RHETOR. CICER.

Prædones illo loco nunquam sunt visi. Inimicum nullum habuit: relinquitur, si neq; a prædonibus, neq; ab inimicis occisus est, quod alteri non erant, alteros non habebat, abs te sit interemptus.

Cum ex falsa enumeratione constat, ut si, cum plura sunt, pauciora dicamus, hoc modo: Duæ res sunt, iudices, quæ omnes ad maleficium impellunt: luxuries, & avaritia.

Cum pauciora sunt, & plura dicimus, ut: Tres res sunt, quæ omnes homines sollicitant, Metus, cupiditas, egritudo.

Cum nimium longè repetitur, ut: Omnium maiorum stultitia est mater. Quæ præ cæteris parit immensas cupiditates: immensæ porro cupiditates, infinitæ & immoderate sunt: Hæ pariunt avaritiam, avaritia porro hominem ad quoduis maleficium impellit: Igitur avaritia inducti adversarij nostri, hoc in se facinus admiserunt.

## DE VITIOSA RATIONE.

Rationum vitiosarum, alia est Vana, Quæ ex falsa causa constat, ut: Amor fugiendus non est, nam ex eo verissima nascitur amicitia. Item: Philosophia vitanda est, adfert enim socordiam, atq; desidiam.

## COMPENDIUM

Non ostendit necessario ita esse, quem admodum expositum est, ut: Amicum castigare, ob meritam malam noxiam immane est facinus, verum in ætate utile, & conducibile. Nam ego amicum hodie meum non castigabo pro commerita noxia.

Non necessariam causam adfert expositionis, ut fortunam insanam esse & cæcam & brutam perhibent philosophi: Cæcam, quia nihil cernat, quo se applicet: Insanam, quia atrox, incerta, instabilis: Brutam, quia dignum atq; indignum nequeat internoscere.

Alia  
infirm-  
ma.  
Que

Pro ratione id videtur adferre, quod in expositione dictum est, ut: Magno malo est hominibus auaritia, idcirco quod homines magnis & multis incommodis conflantur propter immensam pecuniæ cupiditatem.

Minus idoneam, quàm res postulat, causam subiicit expositioni, ut: Utile est amicos ueros habere: Habes enim quibus cum iocari possis.

Vel alij expositioni potest accommodari, ut facit Pacuuius, qui eandem adfert rationem, quare cæca, eandem, quare Bruta Fortuna.

DE

RHETOR. CICER.  
DE VITIOSA CONFIR-  
matione Rationis.

In confirman-  
da ratione,  
studioſi utun-  
tur duplici  
concluſione,  
vt:

**Iniuria abs te adſcior**  
pater. Nam ſi impro-  
bum exiſtimaueras,  
cur me huic locabas  
nuptijs?

**Sin eſt probus, quur**  
talem inuitam inui-  
tum cogis relinque-  
re?

Que  
conuer-  
tentur  
aut ex

**Contrario, vt: Nul-**  
late indigna nata adſci-  
cio iniuria. ſi probus  
eſt, bene locaui: ſin eſt  
improbus, diuortio te li-  
berabo incommotis.

**Simplici parte, ſi**  
ex duplici concluſione  
alterutra pars diluetur  
vt: Nam ſi improbum  
exiſtimaueras, cur me  
huic locabas nuptijs?  
Duxi probum, erraui:  
poſt cognoui, & fugio  
cognitum.

Quedam

COMPENDIUM  
QUAEDAM VITIOSAE  
Confirmationis cautelæ.

Vitiosa rationis confirma-  
tio est.

Cum ea re, quæ plura significat, abu-  
timur pro incerto vnius rei signo, vt: Ne-  
cesse est, quoniam pallet, egrotasse. Necesse est pepe-  
risse, quoniam sustinet puerum infantem.

Cum uel in alium, vel in eum ipsum, qui dicit id  
quod in aduersarium dicitur, potest conuenire, vt: Mi-  
seri sunt, qui uxores ducunt. At tu duxisti alteram.

Quæ vulgarem habet defensionem, vt: Iracundia  
inductus peccauit, aut adolescentia, aut amore.

In qua pro certo sumitur id, quod inter omnes non  
constat, vt: Eho tu, Di, quibus est potestas superum,  
atq; inferum, pacem inter se conciliant, conferunt con-  
cordiam.

In qua, quod iam quasi serò, atq; acto negotio dici  
videtur, vt: In mentem mihi si venisset Quirites, non  
commissem, vt hunc in locum res ueniret. Nam hoc,  
aut hoc fecissem. Sed me tum hæc ratio fugit.

Cum id, quod in aperto delicto positum est, tamen  
aliqua leui tegitur defensione, vt: Cum te expetebant  
omnes, florentissimo regno reliqui, nunc desertum ab  
omnibus,

## RHETOR. CICER.

omnibus, summo periculo solus ut restituam, paro.

In qua id, quod in aliam partem, ac dictum sit, potest accipi, ut si factiosus dicat: Satius est uti regibus, quam malis legibus.

Quæ falsis, aut vulgaribus definitionibus utitur. Falsis, ut: Iniuria nulla est, nisi quæ ex pulsatione, aut conuitio constat. Vulgaribus, ut: Quadruplator est capitalis. Est enim improbus, & pestifer ciuis.

Quæ pro argumento sumit, quod in disquisitione positum est, ut: Si quis quem furti arguat, dicat eum esse hominem improbum, auarum, fraudulentum, Ei rei testimonium esse, quod sibi furtum fecerit.

Quæ controuersiam controuersia dissoluit, ut: Non conuenit Censores, istum verbis satisfacere, ex eo, quid ait, se non potuisse adesse, ita ut iuratus fuerat, quod ad exercitum non venisset, id Tribuno militum diceret.

Cum id, de quo summa controuersia est, parum expeditur, & quasi transactum sit, relinquatur, ut aperte fatur dictio, si intelligas: Tali dare arma, qualis qui gessit, fuit, lubet potiri si studeamus Pergamo. Quæ ego profiteor esse mea, Nam me æquum est frui fraternis armis, mihiq; adiudicariet, vel quod propinquus, vel quod uirtute æmulus.

## COMPENDIUM

In qua ipse, quid dicit, sibi in sua oratione dissenti-  
tit, & contra ea, quæ dixerit, dicit, vt: *Qua causa accu-  
sensem hunc, nequeo exponendo euoluere. Nam si ue-  
retur, quid eum accussem, qui probus est. Sin inuere-  
cundum animi ingenium possidet: quid eum accussem,  
quid parui auditu existimet. Nunc ego te à summo  
iam dexteram exordio.*

In qua quid dicitur contra iudicis uoluntatem, aut  
eorum, qui audiunt, si aut partes, quibus illi student,  
aut homines, quos illi charos habent, lædant, aut ali-  
quo huiusmodi uitio lædatur auditoris uoluntas.

In qua non omnes res, quæ fuerint in expositia  
one promissæ, confirmantur.

In qua de alia re dicitur, quum alia de re contro-  
uersa sit, aut additur quippiam, aut detrahitur, aut  
tota causa mutatur, vt quum de musica disputatio  
consumitur in uirtutis utilitatem.

In qua aliud accusatoris criminatio continet, ali-  
ud defensoris oratio purgat, vt: *Si quis accusetur, am-  
bitu magistratum petisse, ab imperatoribus sæpenu-  
mero se apud exercitum donatum esse dicat.*

In qua ars, aut scientia, aut studium aliquod uitua-  
peratur,

## RHETOR: CICER.

peratur, propter eorum vitia, qui in eo sunt, ueluti  
qui Rhetoricam uituperant, propter alicuius Orato-  
ris uituperandam uitam.

Quæ continet id, de quo non est controuersia,  
ut si quis, quum Orestem accuset, planum faciat ab eo  
matrem esse occisam.

Quæ rem, in comparandis rebus, alteram effert  
de altera mentionem non facit, aut negligentius di-  
sputat.

In qua necesse putatur, alteram rem uituperari,  
quum altera laudetur.

In qua de nomine, & vocabulo eius rei controuer-  
sia struitur, quam rem consuetudo potest optimè iu-  
dicare. Velut Sulpitius, qui intercesserat, ne exules,  
quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, Idem  
posteriori immutata voluntate, quum eandem legem  
ferret, aliam sese ferre dicebat propter nominum com-  
mutationem. Nam non exules, sed vi eiectos se redu-  
cere dicebat.

## DE EXORNATIONE

vitiosa.

D v Exor

Exornatio  
comparatio  
stat ex

Similibus,

Exemplis,

Iudicatis,

Quorum  
vitia sunt

Si ex aliqua parte dissimilis est, nec habet par  
rem rationem comparationis, aut sibi ipsi  
obest, qui adfert.

Si aut falsum est, ut reprehendatur, aut si im  
probum, ut non sit imitandum, aut maius  
aut minus quam res postulabit.

Si aut dissimili de re proferantur, aut de ea  
re, de qua controuersa non est, aut si im  
proba, aut eiusmodi, ut aut plures, aut ma  
gis idonea res iudicatae ab aduersariis  
proferri possint.

Amplificationibus, & ceteris, quae pertinent ad  
exaggerandam, & locupletandam Argumentationem. In  
quibus vitiosum est, de eo argumentari, atque id planum fa  
cere, quod aduersarij factum esse confitentur. Item id au  
gere, quod conuenit doceri.

RHETOR. CICER.  
DE COMPLEXIONE  
vitiosa.

Complexio  
vitiosa est,  
Que

Non, ut quicq; primum dictum est, pri-  
mum complectitur.

Non breuiter concluditur.

Non ex enumeratione certum et con-  
stans aliquid relinquit, quid in singu-  
lis argumentationis partibus sit de-  
monstratum.

DE SEXTA INVENTI-  
onis parte, Conclusionem.

Conclusiones, quæ apud Græcos ἐπιλο-  
γοί nominantur, tripartitæ sunt.

Constant enim ex

I. Enumeratione, per quam colligimus, & com-  
monemus, quibus de rebus verba fecerimus breuiter,  
ut renouetur, non redintegretur oratio, & ordine,  
quicquid erit dictum referamus. In qua curandum est,  
ne ab exordio, aut à narratione repetatur orationis  
dinumeratio. Ficta enim, & dedita opera comparata  
oratio videbitur esse, artificij significandi, ingenijq;  
venditandi, & memoriæ ostentandæ causa. Quapro-  
pter initium in Enumeratione à Diuisione sumendum.  
Deinde ordine breuiter exponendæ sunt res, quæ tra-  
ctatæ erunt in Confirmatione, & Confutatione.

II. Ama

## COMPENDIUM

Primus, ab autoritate, cū commemoramus, quante curæ ea res fuerit dijs immortalibus, maioribus nostris, regibus, ciuitatibus, hominibus sapientissimis, Senatui.

Secundus, cū consideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant, vtrum ad omnes, an ad superiores, an ad pares, an ad inferiores.

Tertius, quo p̄cunctamur, quid sit euenturum si omnibus idem concedatur, & ea neglecta ostendemus, quid incommodum consequatur.

Quartus, Quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio iudicij remoratur.

Quintus, cū ostendemus, si semel aliter iudicatum sit, nullam rem fore, quæ incommodum mederi aut perperam factum corrigere possit.

Sextus, cū ostendemus & consulto factum, & dicemus uoluntario facinori nullam excusationem, imprudentia iustam deprecationem paratam.

Septimus, cū ostendemus, tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse.

Octauus, Quo ostendimus, non vulgare, sed singulare esse maleficio, spurcum, nefarium & inusitatum, quò maturius vindicandum.

Nonus,

III, Amplificatione, cuius loci decem

RHETOR. CICER.

**Nonus**, cum dicemus per comparationem, maius esse maleficium, stuprare ingenuam, quam sacrum legere.

**Decimus**, quoties omnia, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæq; rem consequi soleant, exponimus acriter, & criminose.

**III.** Commiseratione, quam brevem esse oportet. Nihil enim lachryma citius arefcit.

**Variam** fortunarum commutationem dicemus, ostendendo, in quibus commodis fuerimus, & quibus incommodis simus, comparatione.

**Quæ** nobis futura sint, nisi causam obtinuerimus, & enumerabimus, ostendemus.

**Supplicabimus**, & nos sub eorum, quorum misericordiam captabimus, potestatem subiciemus.

**Quid** nostris parentibus, liberis, cæteris necessarijs casurum sit, propter nostras calamitates aperiemus, et simul ostendemus illorum nos solitudine et miseria, non nostris incommodis dolere.

**De** clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios vsti sumus, aperiemus. (mus.

**Nos** semper, aut diu in malis fuisse ostendemus.

**Nostrum** fatum, aut fortunam conqueremur.

**Animum** nostrum fortem, patientem incommodum ostendemus futurum. **LIBER**

Misericordia autem movebitur, si

LIBER TERTIVS.

DE GENERE DELIBERATIVO.

Vtrum potius faciendum sit, vt Carthago tollenda an relinquenda videatur.

Partim  
queritur:

Quid potissimum faciendum sit, vt: Si Annibal consultet, cum ex Italia Carthaginem accersitur, an in Italia remaneat, an domum redeat, an Aegyptum profectus, occupet Alexandriam.

Deliberationum  
duæ  
sunt Divisiones

Propter se consultandæ, vt si deliberet senatus captiuos ab hostibus redimat, an non.

Partim  
sunt ipse  
Use, quæ

Propter aliquam extraneam causam veniunt in deliberationem & consultationem, vt si deliberet senatus, bello Italico soluat ne legibus Scipionem, vt eum liceat ante tempus Consulem fieri.

Mixtæ: quæ propter se sunt deliberandæ, & magis propter ex-

RHETOR. CICER.

pter extraneam causam veniunt in consul-  
tationem, vt si deliberet senatus, bello Ita-  
lico socijs ciuitatem det, an non.

QVOMODO GENVS  
hoc tractari debeat.

Omnis de-  
liberationis  
ratio con-  
ferenda est  
in utilita-  
tem.

Tutam, que  
conficit instantis,  
aut consequentis  
periculi vitatio-  
nem qualibet ra-  
tione. Hæc diffri-  
buitur in

Vim: Quæ fecernitur per ex-  
ercitus, classes, arma, tormen-  
ta, euocationes hominum, &  
alias huiusmodi res.  
Rectum

Dolum: Hic consumitur in pe-  
cuniam, pollicitationes, dissi-  
mulationes, maturaciones, in-  
uentiones, & ceteras res.

Honestam: Res autem ho-  
nesta diuiditur in Rectum, &  
Laudabile.

# COMPENDIUM

**Rectū est,**  
quod cum vir-  
tute & offi-  
cio fit, id di-  
uiditur in

**Prudentiam :** Hæc est calliditas, quæ ratione quadam potest delectum habere bonorum et malorū.

Dicitur item artificij cuiusdam scientia, multarum rerum Memoria, compluriumq; negociorum vsus.

**Iusticiā :** Hæc est æquitas, ius vni cuiq; tribuens pro dignitate cuiusq;.

**Fortitudinem:** Hæc est rerum magnarum appetitio, et rerum humilium contemptio, & laboris cum vtilitatis ratione perpeßio.

**Temperantiam:** Hæc est rationis in libidinem atq; in alios re-ctos impetus animi, firma, & immoderata dominatio.

**Laudabile**  
quod conficit  
honestam &  
præsentem &  
consequentem  
commemora-  
tionem, Id de-  
monstratur

**Ab idoneis hominibus,** vt si quæ res honestiori ordini placeat, quæ à deteriore ordine improbetur.

**Ab aliquibus socijs :** Exteris nationibus, posteris nostris. Item à dignitate, gloria, amplitudine, &c.

RHETOR. CICER.

DE PRVDENTIA.

Prudentiæ partes sunt : Prouidentia, Intelligentia, Memoria,

Commoda cum incommodis conferemus, cum alterum sequi, vitare alterum cohortemur.

Qua in re cohortabimur aliquem, cuius rei aliquem disciplinabilem scientiam poterimus habere, & quomodo, aut qua quidq; ratione fieri oporteat, ostendemus.

Suadebimus quippiam, cuius rei gestæ aut præsentem aut auditam memoriam poterimus habere, qua in re facile id, quod velimus, exemplo allato persuadere possimus.

DE IVSTITIA.

Iustitiæ partes sunt : Pietas, Religio, Obseruantia, Consuetudo, Lex, Natura, Par, Pactum.

Innocentum, aut supplicium misereri dicemus oportere.

Fidem magnoperè censebimus conseruare.

Leges & mores ciuitatis egregiè dicemus seruari oportere.

Societates, atq; amicitias studiosè dicemus coli conuenire.

Quod ius in parentes, Deos, patriam natura comparat.

Quibus vtetur, R

Quibus vtetur, R

## COMPENDIUM

comparavit, id religiosè colendum demonstrabimus.

Hospitia, clientelas, cognationes, adfinitates castè colendas esse dicemus.

Nec prece, nec precio, nec gratia, nec periculo, nec similitate, à via recta ostendemus deduci oportere.

Dicemus in omnibus æquabile ius statui convenire.

## DE FORTITVDINE.

Fortitudinis partes sunt: Magnificèntia, Fidentia, Patientia, Perseuerantia.

Res magnas & excelsas sequi & appeti oportere.

Res humiles, & indignas viris fortibus, viros fortes contemnere oportere, nec idoneas dignitate sua iudicare.

A nulla re honesta, periculi aut laboris magnitudine deduci oportere.

Antiquiorem mortem turpitudine haberi.

Nulla dolore cogi, vt ab officio recedatur.

Nullius pro rei veritate metuere inimicitias.

Quodlibet pro patria, parentibus, hospitibus, amicis, atq; ijs rebus, quas iustitia colere cogit, adire periculum, & quemlibet suscipere laborem.

Quibus vtemur, si ostendemus

DE

RHETOR. CICER.

DE TEMPERANTIA.

Temperantiæ partes sunt: Conti-  
nencia, Clementia, Modestia.

Nimias libidines honoris, pecuniæ, similiumq;  
rerum vituperabimus.

Vnam quamq; rem certo naturæ termino  
definiemus.

Quod cuique satis sit, ostendemus, & nimium  
progredi dissuadebimus, & modum unicui-  
que rei statuemus.

Notabis huiusmodi virtutis partes amplifican-  
das esse, si suadebimus attenuandas, si ab his dehorta-  
bimur. Sed quoniam ab aduersario prædicata virtus  
non facile poterit infirmari, debilitanda est.

Quod fiet, si dicemus, atq; demon-  
strabimus.

Eiusmodi res non esse, ut e-  
gregiam possimus experiri vir-  
tutem, et in contrarijs potius re-  
bus quàm in his eam constare.  
Ignauiam, inertiam, & præ-  
uam libertatē esse, quam is, qui  
contra dicit, iustitiam vocari-  
Ineptam, garrulam, et odio-  
sam scientiam esse, quam appel-  
larit prudentiam.  
Gladiatoriam & inconsu-  
deratam temeritatem esse, quam  
aduersarius fortitudinem nomi-  
nauerit.  
Inertiam, & dissolutam ne-  
gligentiam esse, quæ ille temperan-  
tiam aut modestiam appellarit.

Totius

COMPENDIUM  
TOTIVS CAUSAE  
tractatio.

Principio, *I* iisdem rationib. quibus  
Insinuatione, *I* in Iudiciali causa.  
Narratione, *s*i cuius rei inciderit.

Diuisione: In qua si poteris, simul *e*t tutam,  
*e*t honestam utilitatem ostendere, polliceberis  
utrumq;: Sin alterum, id simpliciter de-  
monstrabis. Quod si rationem tutam dices,  
diuisione uteris in vim, *e*t consilium: Si re-  
tam, atq; eius partes inciderint, uteris qua-  
dripartita.

Confirmatione, Confutatione, Ar-  
gumentationibus artificiosis, supra  
traditis.

Conclusionibus, praesertim, quae rerum ge-  
starum exemplis sint perspicuae.

DIGNA MEMORATV.

Qui tutam  
rationem  
sequi sua  
debet, his  
utetur lo-  
eis.

Nullam rem viliorē esse incolumitate.

Virtutibus uti neminem posse, qui su-  
as rationes in tuto non collocarit.

Ipsos Deos auxilio ijs non esse, qui se  
consulto in periculum mittunt.

Honestum nihil oportere existimari,  
quod non salutem pariat.

ITEM

Hoc genus tractaturus, utetur

Qui tutæ rei præponet  
rationem honestam,  
dicet

Virtutem nullo tempore  
relinquendam : Dolo-  
rem vel mortem, dedeco-  
re & infamia leuiorem  
esse.

Considerandum, quæ  
sit turpitude consecutu-  
ra : nullam immortalita-  
tem, incolumitatem, aut  
securitatem exorituram.

Virtute, vel vltro ad  
mortem proficisci, esse  
præclarum.

Fortitudini fortunam  
esse adiumento solere.

Eum tutè viuere, qui ho-  
nestè viuat, non qui in  
præsentia tutus sit.

Eum, qui turpiter viuat,  
incolumem in perpetuum  
esse non posse.

COMPENDIUM  
DE GENERE DEMON-  
stratiuo.

Vituperatio  
vel laus esse  
potest

Rerum externarum, quæ casu, aut fortuna secunda, aut aduersa acci- dere possunt, vt genus, educatio, di- uitiæ, potestates, gloria, ciuitates, amicitie, & quæ huiusmodi sunt, & ea, quæ his contraria.

Corporis, quæ natura corpori at- tribuit commoda, aut incommoda, vt velocitas, vires, dignitas, vale- tudo, & quæ his contraria sunt.

Animi, quæ consilio, & cogitatione nostra constant, vt prudentia, iusti- tia, fortitudo, temperantia, & quæ contraria.

DE EXORDIO.

Exordium sumetur

A persona nostra: Si laudabimus, id nos fa- cere dicemus officio & studio, quod eiusmodi virtutis sit, vt omnes commemorare debeant velle, quod rectum sit: Aut ex aliorum laude ostendere, qualis noster, vel ipsius sit animus. Si vituperabimus, aut meritò facere quòd ita tractati sumus: Aut studio, quòd vtile pute- mus esse ab omnibus vnicam malitiam, atq; malitiam cognosci;

## RHETOR. CICER.

cognosci : Aut quod placeat ostendi, quod nobis displiceat ex aliorum vituperatione.

**A persona eius, de quo loquemur :** Si laudabimus dicemus vereri nos, ut illius facta verbis consequi non possimus. Omnes homines illius virtutes predicare oportere, ipsa facta omnium laudatorum eloquentiam antecire. Si vituperabimus ea, quæ videbimus contraria, paucis verbis commutatis disci posse, dicemus.

**A persona auditorum :** Si laudabimus, nihil novi, nihil apud ignaros laudemus, nos monendi causa pauca esse dicturos. Sin fuerit ignotus, ut talem virum velint cognoscere petemus, qui in eo virtutis studio sint, apud quos laudemus, quo ille, qui laudatus fuerit, sperare nos facile ijs, quibus velimus, huius facta probaturos. Si vituperabimus, pauca nos de nequitia eius, quem norint, dicturos. Si ignorent, petemus, ut cognoscant, ut malitiam vitare possint, quoniam dissimiles sint, qui audiant, atque ille, qui vituperatur, nos sperare illius vitam vehementer improbaturos.

**A rebus ipsis :** Incertos esse, qui potissimum laudemus, aut vituperemus, vereri, ne cum multa dixerimus, plura prætereamus.

## DE NARRATIONE.

Narratio non erit ulla, quæ necessario consequatur : Sed si quid inciderit cum laude, aut vituperatione laudandum, paucis expediendum erit.

COMPENDIUM  
DE DIVISIONE.

In diuisione  
ostendemus

Quas res laudaturi, aut vituperaturi sumus.  
Res, quo tempore gestæ fuerint, aut ordine, vt quicquid tutè, cauteq; actum sit, intelligatur.

DE ORDINE IN ALI-  
cuius vita demonstranda.

A rebus externis  
demonstrabitur  
alicuius

Genus in laude, quibus maioribus natus sit, si bono genere, parem, aut excelso rem fuisse: Si humili genere ipsum in suis, non in maiorum virtutibus habuisse presidium.

In vituperatione: Si bono genere, dedecori maioribus fuisse: Si malo, tamen his ipsis detrimento fuisse.

Educatio in laude, quod bene, quòd honestè in bonis disciplinis per omnem pueritiam educatus fuerit.

In vituperatione è contrario.

DE

DE CORPORIS  
commodis.

*A corporis  
commodis erit  
natura*

In laude, vt si dignitas fuerit,  
& forma, nos eam laudi fuisse  
dicemus, non quemadmodum  
cæteris detrimento atq; dede-  
cori. Si vires atque velocitas  
egregia, honestis hæc exercita-  
tionibus, & industrijs dicemus  
comparata. Si valetudo ex  
perpetua diligentia, & tempe-  
rantia cupiditatum.

In vituperatione, si erunt  
hæc corporis commoda, his  
malè vsum dicemus, quæ casu  
& natura tanquam quilibet &  
gladiator habuerit. Si non  
erunt, præter formam, omnia  
ipsius culpa, & intemperantia  
non fuisse.

COMPENDIUM  
DE COMMODIS ANNI.

In rebus ex-  
traneis con-  
siderantur a-  
nimi, si per-  
pendemus

Quæ fuerint virtutes, vitia, diui-  
tiæ, paupertates, potestates, glo-  
rie, amicitia, inimicitia.

Quid fortiter in gerendis inimicitijs  
fecerit, cuius causa susceperit ini-  
micitias.

Qua fide, benevolentia, officio gesse-  
rit amicitias.

Qualis in diuitijs, aut cuiusmodi fue-  
rit in paupertate.

Quemadmodum habuerit in potesta-  
tibus gerendis animum.

Qualis mors eius, si interierit, fuerit,  
cuiusmodi res mortem eius sit con-  
secuta.

Quid iuste, fortiter, modestè, pru-  
denter gesserit.

Quod si vituperabimus, id faciemus  
è contrario, ostendentes aliud in-  
iuste, aliud ignauè, aliud immode-  
stè, aliud stultè factum esse.

DE CONCLUSIONIBVS.


Conclusionibus vtemur breuibus, Enume-  
ratione ad exitum causa. In ipsa causa crebras & bre-  
ues am-

nes amplificationes interponemus per locos commun-  
nes.

DE DISPOSITIONE.

Dispositio est, per quam illa, quæ inuenimus,  
in ordinem redigimus, vt certo quicq; ordine pronun-  
cietur.

Cuius gene-  
ra duo sunt



COMPENDIUM  
DE PRONUNCIATIONE,  
DE VOCVM DIFFERENTIIS.

<i>Alia dicenda sunt voce</i>	{	Fusca, clara,
		Leni, aspera,
		Exili, plena,
	=	Hilari, moesta,
		Flebili, ridiculosa,
		Depressa, acuta,
		Clamora, humili, Tarda, cita.

*Pronunciatio diuiditur in vocis figuram, & motum corporis.*

*Vocis figura est habitus vocis, ratione & industria comparatus. Ea diuiditur in tres partes :*

- I. Magnitudinem vocis maximè comparat natura, nonnihil hanc auget, sed maximè cura conseruat.*
- II. Firmitudinem vocis natura comparat, nonnihil adauget, & maximè conseruat exercitatio declamationis.*

<i>Quæ conseruatur, si fuerit</i>	{	Sedata vox in principio.
		Interualla.
		Remissio clamoris.
	=	Clamoris acuti vitatio.
		Vox continens in extrema oratione.

*3. Mol*

RHETOR. CICER.

**III.** Mollitudinem, qua vocem pro nostro commodo torquemus, maximè faciet exercitatio declamationis. Ea diuiditur in sermonem, contentionem, amplificationem.

Sermo est oratio demissa, & finitima quotidiana locutioni, Diuiditur in

**Dignitatem**, hæc est oratio cum aliqua grauitate. Hic plenis faucibus quàm sedatissima voce uti conuenit, ita tamen, ne ab oratoria consuetudine ad Tragicam transeamus.

**Demonstrationem**: Hic vocem paululum attenuata crebris intervalis, & diuisionibus oportet uti.

**Narrationem**: Hic vocum varietate opus est, ut quo quidq; pacto gestum sit, ita narrari videatur.

**Locationem**: Quæ ex aliqua re verisimili risum pudentem, ac liberalem potest captare. Hic voce leniter tremebunda licet uti, cum parua significatione risus, sine vlla suspitione nimicæ cachinnationis.

**Contentio** est oratio acris, & ad confirmandum & confutandum accommodata.

Cuius

## COMPENDIUM

Cuius  
partes  
sunt,

**Continuatio**, est orationis enuncianda & acceleratio clamosa. Hic adaucto mediocriter sono vocis, verbis continuandis vocem quoque iungere oportebit, & torquere sonum, & celeriter cum clamore verba conficere.

**Distributio**, est oratio frequens in contentione, in acri vociferatione, compensatis intervallis. Hic vocem ab imis faucibus exclamatione quam clarissima adhibere oportet.

**Amplificatio** est oratio, quæ ad iracundiam vel ad misericordiam trahit.

Cuius  
partes

**Cohortatio**, quæ peccatum amplificans auditorem ad iracundiam adducit. Hic voce utemur attenuatiss. clamore leni, sono æquabili, commutationibus crebris, maxima celeritate.

**Conquestio**, quæ incommodorum amplificatione animum auditoris ad misericordiam perducit. Hic voce utemur depressa, inclinato sono, crebris intervallis, longis spacijs, magnis commutationibus.

**Corporis motus** altera pronunciationis pars, gestus & vultus est moderatio, quæ probabiliora reddit ea, quæ pronunciantur.

Caput

# DE GESTU. EX QUINTILIANO.

**Caput** : Hoc in actione sicut in corpore præcipuum, erectum esse, aptos ex ipsa actione motus accipere, cum gestu concordare, & manibus & lateribus obsequi debet.

**Vultus** : qui maximè dominatur, hoc minaces, blandi, tristes, hilares sumus, hoc pendent homines, ac intuentur.

**Oculi** : Per quos maximè animus emanat : Hi motu fiunt intenti, superbi, torui, mites, asperi, rigidi, stupentes. Hinc lætitia vel dolor erumpit.

**Supercilia** : In his multum agitur, hæc oculos formant, et fronti imperant, his contrahitur, attollitur, demittitur, ut nulla res in ea plus valeat. In illis vitium est, si aut immota sint omnia, aut nimium mobilia, aut inæqualitate dissident.

**Nares** : Has corrugare, inflare, digitis inquietare, plana manu resupinare, indecorum est, Et emunctio frequentior reprehenditur.

**Labra** : quæ malè porriguntur, diducuntur, dentes nudant, & in latus, ac penè ad aurem trahuntur. Lambere ea, & mordere, deforme est.

**Cervix** : quam rectam esse oportet, non rigidam aut supinam. **Humeri** : quorum rarò decens allevatio atque contractio.

**Manus** : sine quibus trunca est actio, ac debilis.

His poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, ostendimus lætitiã, com-

piam, numerum.

DE

In actione non leve momentum habent

COMPENDIUM

DE MEMORIA.

Memoria necessarium vitæ bonum perhibetur, eruditionem veluti ταμείον, non eloquentiæ tantum thesaurus, verumetiam naturæ lumen, custos artium. Insigne diuinitatis argumentum.

Artificiosa, quam confirmat inductio quædam & ratio præceptionis: Que constat

Hæc duplex est, altera

Naturalis est quæ nostris animis insita, sine inductioe artis, simul cum cogitatione nascitur, Cum de me-

Locis: Hos appellamus qui breuiter, perfecte, aut natura, aut manu sunt absoluti, vt eos facile naturali memoria comprehendere & amplecti queamus, vt ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, fenestram.

Imaginib. Que sunt formæ quædam & notæ, & simulachra eius rei, quam meminisse volumus, quod genus equi, leones, aquilæ, quorum memoriam si volumus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit.

moria Quintil. satis multa præcepisset tandem sic inquit: Si quis vnâ maximam à me artens

## RHETOR. CICER.

Artem memoriae quaerit: exercitatio est, & labor, multa ediscere, multa cogitare, &c. Nihil aequè vel augetur cura, vel negligentia interdicit. Quare & pueri statim quàm plurima ediscant, & quaecunq; aetas operam iuuandae studio memoriae dabit, deuoret initio tædium illud, & scripta, & lecta saepius reuoluendi, & quasi eundem cibum remandendi.

### QVOMODO CONFIR= manda sit memoria.

Memoriam  
confirmabit  
puer, si potissi=  
mum adsue=  
ueris

Plurima ediscere, non ignauos semper ocio torpere.

Bonam valetudinem conseruare, non crapula perdere.

Inclinato capite nunquam scribere, vel legere.

Hora matutina, quæ studijs amica fertur, ingenij neruos intendere, aut cibo concocto sub somnum ediscere, quæ manè repetat à memoria.

Ea, quæ discere uoluerit, penitus intelligere, & rerum ordinem animo imprimere.

Per partes ea, quæ longiora fuerint ediscere, difficilioribus autem

E

NOTAS

## COMPENDIUM

notas quosdam, ut recordatio sit expedi-  
tior, apponere.

Ea, quæ memoria complecti voluerit, primò  
diligenter scribere.

Alieno magis, quàm suo silentio memo-  
riæ discenda mandare.

Subinde periculum, an teneat, facere: sibi  
nihil ignoscere.

## LIBER QUAR- TUS.

### DE ELOCUTIONE.

Elocutio di-  
uiditur in

- Genera dicendi.
- Elegantiam.
- Compositionem.
- Dignitatem.

### DE GENERIBVS DI- cendi.

Genera dicendi sunt, quæ nos figu-  
ras appellamus, in quibus omnis oratio  
non vitiosa consumitur.

Sunt

## RHETOR. CICERO.

**Graue**, quod constat ex verborum grauium magna & ornata constructione. Cuius vitium est, suffultum, cum oratio turget, aut inflatur, nouis, priscis, & duriter aliunde translatis verbis, aut grauioribus, quam res postulat.

Sunt autem  
tria:

**Mediocre**, quod constat ex humiliore, sed non infima, aut peruulgatissima verborum dignitate. Cuius vitium fluctuans ac dissolutum vocatur, quod sine nervis & articulis huc illuc fluctuet. Quod humilem fugiens figuram, nimium ascendit, aut inflatam & tumidam vitans, nimium descendit.

**Attenuatum**, quod demissum est ad vsitatissimam puri sermonis consuetudinem. Cuius vitium aridum & exangue est orationis genus, exile vocatum.

## DE ELEGANTIA.

Elegantia est, quae facit, ut vnumquodque pure, & aperte dici videatur.

F 2

CUIUS

# COMPENDIUM

Cuius  
partes  
sunt:

**Latinitas,**  
quæ purum ser-  
monem confer-  
uat, ab omni  
vitio remotum,  
Cuius vitia  
sunt.

**Barbarissimus,** est contra Romani sermonis legem  
aut scripta, aut pronunciata vitiosa dictio: Fit quatuor  
modis: Additione, Detractione, Immutatione, et Trans-  
positione, litteræ, syllabæ, temporis, toni, aspirationis.  
**Solœcismus,** est impar et inconueniens partium  
orationis compositura, quæ dicebatur à nonnullis Stri-  
bligo, vel Imparilitas. Fit per immutationem generum,  
casuum, numerorum, personarum, temporum, accen-  
tus. Item per qualitates, modos verborum, aduerbia lo-  
calia, præpositiones, gradus comparationis, gemina-  
tionem abnuendi, secundum Diomedem.

**Exclamatio,** quæ red-  
dit apertam ac dilucidam o-  
rationem, comparatur rebus  
duabus. **V**itatis verbis, ea sunt, quæ versantur  
in sermone, ac consuetudine quotidiana:  
**V**erbis proprijs. Quæ eius rei verba  
sunt, aut esse possunt, de qua loquemur.

RHETOR: CICER.

DE COMPOSITIONE.

Compositio, Græce σύνθεσις, est apta et concinna modulis suis structura, qua alius pes alio iucundiores clausulam efficere dinoscitur.

Recipit autem {  
Ordinem, qui consistit in uerbis singulis, aut compositis.  
Iuncturam, hæc habet κόμματα, κῶλα, περιόδου.  
Numerum, in quo ῥυθμὸς est, ἔμετρον.

DE DIGNITATE.

Dignitas est, quæ reddit ornatam orationem uarietate distinguens. Diuiditur in uerborum ἔσσηναι exornationem.

DE EXORNATIONE

uerborum.

Exornatio uerborum est, quæ ipsius sermonis insignita continetur perpolitio.

Cuius species sunt XLV.

Repetitio, Conuersio, Complexio, Transductio, Contentio, Exclamatio, Interrogatio, Ratiocinatio, Sententia, Contrarium, Membrum, Articulus grauis, Conti-

F 3 nuatio

## COMPENDIUM

nuatio mediocris, Compar graue, Simi-  
liter cadens, Similiter desinens, Agno-  
minatio humilis, Subiectio, Gradatio,  
Definitio, Transitio, Correctio, Occu-  
patio, Disiunctio, Coniunctio, Adiun-  
ctio, Conduplicatio, Interpretatio, Com-  
mutatio, Permissio, Dubitatio, Expedi-  
tio, Dissolutio, Præcisio, Conclusio, No-  
minatio grauis, Pronominatio, Denomi-  
natio, Circuitio, Transgressio, Superla-  
tio, Intellectio, Abusio, Translatio, Per-  
mutatio.

## DE EXORNATIONE

*Sententiarum.*

Sententiarum exornatio, quæ non in  
verbis, sed in ipsis rebus habet di-  
gnitatem.

*Cuius species sunt XXIII.*

Distributio, Licentia, Diminutio,  
Descriptio, Diuisio, Frequentatio, Expo-  
litio, Cômoratio, Contentio, Similitudo,  
Exemplum, Imago, Effictio, Notatio,  
Sermonicatio, Confirmatio, Significatio,  
Breuitas, Demonstratio, Redditio causæ,  
Incrementum, Eleuatio, Interclusio.

RHETOR. CICER.  
DE REPETITIONE, QVAE  
Verborum exornatio prima.

ἀναφορα, vel ἐπαναφορα.

Repetitio est, cūm continenter ab vno atq; eodem verbo in rebus similibus & diuersis principia sumuntur, hoc modo: Scipio Numantiam sustulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem seruauit.

DE CONVERSIONE.

ἀντιστροφή, vel ἐπαναστροφή.

Conuersio est, per quam non, vt antè, primum repetimus verbum, sed ad postremum continenter reuertimur, hoc modo. Pœnos populus Romanus iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.

DE COMPLEXIONE.

συμπλοκή.

Complexio est, quæ vtramque complectitur exornationem, & hanc, & quam ante exposuimus, vt & repetatur idem primum verbum, sæpius & crebrò ad idem postremum reuertamur, hoc modo: Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulant? Carthaginenses.

## COMPENDIUM DE TRADUCTIONE.

ἐπάνοδος, vel ὁλοκή.

**T**raductio est, quæ facit, ut quum idem uerbum crebrius ponatur, non modò non offèdat animum, sed etiam concinniozem orationem reddat, hoc modo: Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere. **ITEM**: Cùm uerbum modò ponitur in hac, modò in altera re, ut: Cur eam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?

## DE CONTENTIONE.

ἀντίθετος.

**C**ontentio est, cùm ex contrarijs uerbis oratio conficitur, hoc pacto: Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarissimos affert. **ITEM**: Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes.

## DE EXCLAMATIONE.

ἀποστροφὴ, uel ἐκφώνησις.

**E**xclamatio est, quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius, per hominis, urbis, loci, aut rei cuiuspiam compellationem, ut: Tène alloquar Africane, cuius mortui quoque nomen splendori & decori est ciuitati? Tui clarissimi nepotes abluerunt suo sanguine inimicorum crudelitatem. O tempora, ô mores.

DE

RHETOR. CICER.  
DE INTERROGATIONE.

Ἐρωτήσεις.

Interrogatio, quæ cū enumerata sint ea, quæ  
ob sunt causæ aduersariorum, confirmat superiorem  
orationem, hoc pacto: Cū igitur hæc omnia faceres,  
diceres, administrares, utrum animos sociorum ab  
Republica remouebas, & alienabas, an non? & utrum  
aliquem exorari oportuit, qui ista prohiberet, ac fieri  
non sineret?

DE RATIOCINATIONE.

Ἐρώματα.

Ratiocinatio est, per quam nos ipsi à nobis  
rationem poscimus, quare quicque dicamus, & crebrò  
nosmet à nobis petimus vniuscuiusque propositionis  
explanationem, vt: Maiores nostri, si quam vnius pec-  
cati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum  
maleficiorum confictam putabant. Quo pacto? Quo-  
niam, quam impudicam iudicabant, eam veneficij quo-  
que damnatam existimabant. Quid ita? Qui ne-  
cesse est eam, quæ suum corpus addixerit turpissimæ  
cupiditati, timere permultos. Quos? Istos, virum,  
parentes & cæteros, ad quos videt sui dedecoris in-  
famiam pertinere. Quid postea? Quos tantoperè tim-  
meat, eos necesse est, vt quoquo modo possit, veneficio  
petat, & cat.

COMPENDIUM  
DE SENTENTIA.

Γνώμη uel παραινέσις.

Sententia est oratio sumpta de vita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat, in vita breuiter ostendit, ut: Liber is est existimandus, qui nulli seruit turpitudini. ITEM cum rationis subiectione, ut: Omnes bene viuendi rationes, in virtute sunt collocandæ, propterea quòd sola virtus in sua potestate est, omnia præter eam subiecta sunt fortunæ dominationi.

DE CONTRARIO.

ἀντίθεσις, Est eadem ferè, quæ contentio, ἀντίθετος.

Contrarium est, quod ex rebus diuersis duabus alteram breuiter, & facillè confirmat, hoc pacto: Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres?

DE MEMBRO.

μέλος.

Membrum orationis appellatur, res breuiter absoluta sine totius orationis demonstratione, vel sententiæ perfectione, dum alio membro orationis accipiatur, ut: Tuis dolori, alienis ludibrio, tibi si decore eras.

DE ARTICVLO GRAVI.

ἀνάλυτος, uel διάλυτος.

Articulus

## RHETOR. CICER.

Articulus est, qui singula verba, *causa oratione* distinguit, armis, cruore, cadaueribus, & luctus omnia complentur.

### DE CONTINUATIONE.

mediocri.

ΣΥΝΕΧΕΙΑ, ΠΕΡΙΟΔΟΣ.

Continuatio est densa, & continens frequentatio verborum cum absolutione sententiarum, ut: *Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmiter in virtute, quam in casu praesidium collocavit.*

### COMPAR GRAVE.

ἰσοκωλον.

Est, quod habet in se membra orationis constantia ex pari ferè numero syllabarum, ut: *In praelio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat. Audacia Alexandro gloriam comparavit. Sapientia Platoni laudem vendicavit.*

### SIMILITER CADENS.

ὁμοίῳ τῶτον.

Similiter cadens, cum in eadem constructione verborum, duo aut plura sunt verba, quæ similiter iisdem casibus efferruntur, ut: *hominem laudas egenam virtutis, abundantem felicitatis.*

### SIMILITER DESINENS.

ὁμοιοτέλευτον.

Similiter desinens est, cum tamen si casus non in-  
sunt

## COMPENDIUM

sunt in verbis, tamen similes exitus sunt, hoc modo,  
Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Viuis  
gloriosè, delinquis ambitiosè.

## DE AGNOMINATIONE.

παραιομασία.

Agnominatio est, quæ dissimilibus rebus de-  
commodat similia verba, vt: Diligere oportet, quem  
velis diligere. Iactator iste venit à te antè, quàm Ro-  
mam venit.

## DE SVBIECTIONE.

ἀντιποφορά, προσωπόδιοςις.

Subiectio est, cum interrogamus aduersarios,  
et quærimus ipsi, quid ab illis, aut quid contra nos di-  
ci possit, deinde subijcimus, quod oporteat, aut quod  
non. Aut nobis adiumento futurum sit, aut offuturum  
illis è contrario, vt: Vnde iste tam pecuniosus factus?  
Amplum patrimonium relictum? At patris bona ve-  
nierunt. Hæreditas aliqua obuenit? Non potest dici,  
sed etiam à necessarijs omnibus exhæreditatus est.

## GRADATIO.

κλίμαξ.

Gradatio est, in qua non antè ad verbum con-  
sequens descenditur, quàm ad superius conscensum est,  
vt: Africano industria virtutem, virtus gloriam, glo-  
ria æmulos comparauit. Definitio.

RHETOR. CICER.  
DEFINITIO.

ὄρισος, vel ἔρισμός.

Definitio est, quæ rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter, & absolutè, hoc modo: *Maestras Reipublicæ est, in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis.*

TRANSITIO.

μετάσασις, vel μετάβασις.

Transitio vocatur, quæ, quum ostendit breuiter, quod dictum sit, præponit item breuiter, quod consequatur, hoc modo: *In patriam cuiusmodi fuerit, habetis, nunc in parentes qualis extiterit, considerate.*

CORRECTIO.

μετάνοια ἢ παύσις.

Correctio est, quæ tollit id, quod dictum est, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto: *O virtutis comes inuidia, quæ bonos insequeris plerunq; , imò adeò insectaris.*

OCCUPATIO.

παράλειψις Præteritio, Omisio.

Occupatio, quum dicimus nos præterire, aut non scire id, quod maximè dicimus, vt: *Non dicam te urbis nostræ hostem omnes bonos insectari.* Et quod

ad

## COMPENDIUM

ad hanc causam non pertinet, præteribo, templum te religionis, & urbis huius caput euertisse. Est & occupatio, cum tacitæ obiectioni occurrimus, eaq; quæ obijci possent peruenientes, diluimus, à Græcis προκατάλυσις appellata, id est, præoccupatio.

## DISIUNCTIO.

Διάλυτον, vel διάζυγμα.

Disiunctio diuersa diuerso verbo concludit, ut: Populus Romanus Numantiam deleuit, Carthaginem sustulit, Corinthum distecit.

## CONIUNCTIO.

μεζίζυγμα.

Coniunctio per interpositionem uerbi, & superiores orationis partes complectitur & inferiores, ut: Formæ dignitas & morbo deflorescit, & uetustate.

## ADIUNCTIO.

Πρίζυγμα vel ὑπρίζυγμα.

Adiunctio aut in principio, aut fine uerbum collocat, ut: Deflorescit formæ dignitas, aut morbo, aut uetustate. Aut morbo, aut uetustate formæ dignitas deflorescit.

## CONDUPLICATIONIO.

ἀπλάσις vel, ἐπανάλυσις.

Conduplicatio est unius aut plurium iteratio cum ratione amplificationis, ut: Virtutem Scipionis, uirtutem, & huius urbis gloriam commemorat. Com-  
motus

## RHETOR. CICER.

motus non es, cum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus.

### INTERPRETATIO.

ἑρμηνεία, συνωνυμία.

Interpretatio, quæ non iterans idem redintegrat uerbum, sed id commutat, quod positum est, alio uerbo, quod idem ualeat, ut: Patrem nefarie uerberasti. Parenti manus sceleratè intulisti.

### COMMUTATIO.

ἀνὰ κλησιν, uel ἀνὰ μεταβολῆν.

Commütatio, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ex transítione ita effèruntur, ut à priori posterior contraria priori proficiscatur, ut: Esse oportet, ut uiuas: non uiuere, ut edas.

### PERMISSIO.

ἐπιτροπή.

Permissio, cum dicendo aliquam rem toti alicuius uoluntati condonare uidemur, ut: Cum præter animam nihil relictum sit, ea uti libet ut animi.

### DUBITATIO.

ἀπορία, uel διαπόρρησις.

Dubitatio, cum querere uidetur Orator, utrum duobus potius, aut quid de pluribus potissimum dicat hoc modo: Obsuit eo tempore plurimum Reipublicæ consulum siue stultitiam, siue malitiam dicere oportet, siue utrunq; Expres

COMPENDIUM  
EXPEDITIO.

ἀπόφασις.

Expeditio quæ rationibus pluribus enumeratis, quibus aliqua res fieri, aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, & unâ relinquitur, vt: sic nec ab uxore, quæ amore & pietate præpedita, nec à nepote qui in bello interfectus erat, domi à crudelissimo liberti mors illata est.

DISSOLVTIO.

ἀσύνθετον.

Dissolutum, quod sine coniunctionibus profertur, vt: Clamoribus, ululatibus ædes resonabant. Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus.

PRAECISIO.

παρασιώπησις, vel ἀποσιώπησις.

Præcisio est, quum dictis aliquibus reliquum quod cœptum est dici, in animo audientium relinquitur, vt: Tu hæc audes dicere, quæ nuper alienæ domus non ausim dicere, ne quum te digna dixero, me indignum quippiam dixisse uidear.

CONCLUSIO.

ἐπίλογος.

Conclusio est, quæ breui argumentatione, ex ijs, quæ antè dicta sunt, aut facta, conficit id, quod necessario

## RHETOR. CICER.

cessario consequitur, ut: Quod si Danais datum erat oraculum non posse capi Troiam, sine Philocteta sagittis, hæ autem nihil aliud fecerunt, nisi Alexandrum perculerunt, hunc extinguere, id nimirum capi fuit Troiam.

### NOMINATIO GRAVIS.

ὄνοματοποιία.

Nominatio est nominis confectio, soni imitatione, ut rudere, uagire, mugire, fragor ciuitatis, clangor barbarum.

### PRONOMINATIO.

ἄντονομασία.

Pronominatio est, quæ cognomine quodam extraneo dicit, quod suo nomine appellari non licet, ut si quis Græchos Aphyricani nepotes nominet. Videte iudices, quemadmodum Plagiosippus iste tractarit.

### DENOMINATIO.

μετωνυμία.

Denominatio est, quæ à rebus propinquis et finitimis trahit orationis originem, qua possunt intelligi res non suo nomine appellatæ, ut pro Libero, uinum: pro Cerere frugem: Aut ebur, argentumque pro diuitijs: Aut continens pro eo, quod continetur. Virgilius in 7. Nunc pateras libate Ioui.

COMPENDIUM  
CIRCVITIO.

περίφρασις.

**Circuitio** est oratio, rem simplicem assumptam circumscribens elocutione, vt : Scipionis providentia Carthaginis opes fregit.

TRANSGRESSIO.

ὑπερβατομ.

**Transgressio** est, quæ perturbat uerborum ordinem, vt : Instabilis in istum plurimum fortuna ualuit, &c.

SVPERLATIO.

ὑπερβολή.

**Superlatio** est oratio, superans veritatem, alienius augendi, minuendive causa, vt: sermo melle dulcior, corpus niueum, igneus ardor.

INTELLECTIO.

συμπελοχή.

**Intellectio** est, quum res tota de parua parte, aut de tota pars cognoscitur, vt : Num illæ te tibiæ nuptiales & scelere arcebant ? Et : Ostentas mihi diuiti as tuas, quum annulum tantum ostentas.

ABVSIO.

RHETOR. CICER.

ABUSIO.

Κατ' ἄχρησις.

**Abusio** est, quæ verbo simili, & propinquo pro certo & proprio abutitur, hoc modo: Vires hominis breues sunt, aut parua statura, aut longum in homine consilium, aut oratio magna, aut vti pauco sermone. **ITEM**, pro orare, obsecrare, supplicare.

TRANSLATIO.

Μεταφορά.

**Translatio** est, quum verbum ad quandam rem transfertur ex alia re, quod similitudine rectè videbitur posse fieri, vt: Tumultus Germaniam expergescit. Turca multas ciuitates extinxit. Omnia nunc vident.

PERMUTATIO.

ἀλλογοσία.

**Permutatio** est oratio, aliud verbis, aliud sententia demonstrans, fitq; vel à similitudine, vt: Lupus est in fabula: vel per argumentum, vt si quis Drusum appellet Gracchum. Et Numitorem obsoletum. Aut per contrarium, vt si quis prodigum & luxuriosum illudens, parcum & diligentem appellet.

G ij

DE

COMPENDIUM  
DE SENTENTIARVM  
Exornationibus.

DISTRIBVTIO.

Διανομή, vel μερισμὸς, à nonnullis vocatur διακοπή.

Distributio est, quum res, personæ & negotia certa dispartuntur, ut: Quibus Reipublicæ honor curæ est, præmia uirtuti, pœnas sceleribus rependite. Item: Senatus officium est, consilia ciuitatum iuuare: Magistratus, opere, & diligentia: Populi, obedire. Accusatoris, inferre crimina: Defensoris, diluere, & propulsare: Testis, dicere, quæ scierit, & audierit: Quæstoris, unumquemque horum in officio continere: Iudicis procurare, ne fiat iniuria reo.

LICENTIA.

παρρησία.

Licentia est, quum apud eos, quos ueri debemus, aliquid audacius proferimus, ut: Quod omnibus ludibrio estis, equissimi patres, non ab re censeo. Ea autem, quæ nimium habuerit acrimoniæ mitiganda erit, ac subiungendum: Virtutem uestram quaero, Sapientiam desidero, ueterem consuetudinem requiro.

DIML

RHETOR. CICER.

DIMINVTIO.

ΔΙΤΌΤΗΣ.

Diminutio est, cum aliquid inesse nobis natura, fortunæ, uel industriæ ratione, attenuamus, ut: Pro meo iure, Patres, dico, me labore & industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem.

DESCRIPTIO.

ΔΙΑΤΥΨΩΣΙΣ, uel ὕΠΟΤΥΨΩΣΙΣ.

Descriptio, quæ ~~rem~~ consequentiam perspicuam, & dilucidam cum grauitate continet expositionem, hoc modo: Si de hoc iudices, grauem sententiam tuleritis, uno iudicio simul multos iugulaueritis. Grandis natu parens, cuius spes senectutis omnis in huius adolescentia posita est, quare uelit in uita manere, non habebit. Filij parui, priuati patris auxilio, ludibrio, & despectui paternis inimicis erunt oppositi. Tota domus huius indigna concidet calamitate. Inimici statim sanguinolenta palma, crudelissima uictoria potiti, insultabunt in horum miserias, & superbire simul, & uerbis inuebentur.

DIVISIO.

ΔΙΑΪΛΥΜΑ.

Diuisio est, quæ rem semouens ab re, utranque absoluit, ratione subiecta, hoc modo: Cur ego nunc

G 3

tibi

## COMPENDIVM

tibi obijciam quicquam? Si probus es, non meruisti: si improbus, nihil commouere. Quid nunc ego de meis meritis prædicem? Si meministis, obtundam: Si obliti estis, cum re nihil egerim, quid est, quod verbis proficere possim.

## FREQVENTATIO.

Συναθροισμὸς.

Frequentatio, cum res in tota causa dispersæ coguntur in vnum locum, quò grauior, acrior, & criminosior sit oratio, vt: Hunc iudices liberare cupitis? Proditor, insidiator, improbus, petulans, infestus, impius, & intolerabilis est.

## EXPOLITIO.

Ἐξεργασία, vel ταυτολογία.

Expolitio est, cum in eodem loco manemus, & aliud atque aliud dicere videmur, eandem tamen rem aut de eadem re commemorando, pronunciando, vel tractando dicimus, pro eadem re propositionem, rationem, comprobationem, contrarium, simile, ac conclusionem afferentes.

## COMMORATIO.

Ἐπιμονή. Perseuerantia.

Commoratio, cum in eodem loco firmissimo,  
quo

## RHETOR. CICER.

quo tota res continetur, immoramur diutius, & in eundem locum redimus sæpius, quod est boni oratoris proprium. Exemplum in Miloniana, ubi in exponendis insidijs commoratur Cicero.

## CONTENTIO.

ἄντιθετος.

Contentio est, per quam contraria referuntur, ut: Vos huius incommodis tugetis, istæ Reipublicæ calamitate lætatur. Vos vestris fortunis diffiditis, iste solus suis eo magis confidit.

## SIMILITUDO.

παραβολή, vel ὁμοίωσις.

Similitudo est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari, simile. Fit per contrarium, ut: Imperium administrare, & palestræ ludum, contrario modo se habent. **ITEM**, per negationem, ut: Non sic in amicitia, sicut in certamine currendi se res habet, ubi novus veteribus præponendus est. **ITEM**, per collationem, cuiusmodi poëtice fermè comparationes sunt. **ITEM**, per brevitatem, ut quum Oratoris audacissimi cuiusdam facta reprehendere volumus, bene ornato, sed inconcinno & malo cytharædo comparabimus.

COMPENDIUM  
EXEMPLVM.

παράδειγμα.

Exemplum est alicuius facti, uel dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propositio, & usdem ferè modis, quibus Similitudo sumitur.

IMAGO.

εἰκὼν.

Est formæ cum forma cum quadam similitudine collatio, laudis, uel uituperationis causa facta, ut: Ibat in prælium corpore tauri ualidissimi, impetu leonis: Vituperij sic: Tanquam ueta ursa aut immanis draco serpit per forum.

EFFICTIO.

προσωποποιία, uel χαρακτηρισμός.

Effictio est, quum facies corporis uerbis describitur, ut: Erecta fronte, ludibundis oculis, aduncis naribus, sparsa ore gestit. Hunc dico iudices, breuem, incuruum, canum, subcrissum, caesium, cui magna in mento cicatrix.

NOTATIO.

μίμησις, uel ἠθοποιία.

Notatio, quum alicuius natura cæteris describitur

## RHETOR. CICER.

bitur signis, quæ sicuti notæ quædam naturæ, sunt attributa, ut, cum gloriosi militis iactantia, aut iniuriosæ ferocia plenè recenseiur.

## SERMOCINATIO.

διάλογος, vel διαλογισμός.

Sermocinatio est, quum personæ sermo cum ratione dignitatis attribuitur, senesq; parci gravitate, ioco & ludo iuvenes, & rerum profusione delectari commemorantur.

## CONFORMATIO.

εἰδωλοποιία.

Conformatio, cum aliqua quæ non adest persona, vel res muta, & informis, & eloquens, & habens formam introducitur, ut si Scipio reuiuiscat, diceret: Ego urbi pacem peperì, uos bella concitastis.

## SIGNIFICATIO.

ἐμφασις.

Significatio, quæ plus in suspitione relinquit, quàm positum est in oratione.

## COMPENDIUM

Exuperationem, ὑπερβολήν, cum plus dictum est, quam patitur veritas, augendae suspicionis causa, ut: Hic de tanto patrimonio tam cito testam, qua sibi petat ignem, non reliquit.

Ambiguum, ἀμειβολογία, cum verbum potest in duas, pluresve sententias accipi, sed accipitur in eam partem, quam vult is, qui dixit, ut de eo si dicas, qui multas hereditates adierit: Prospice tu, qui plurimum cernis.

Consequentiam, ἀκολουθία: quum res quae sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspitione, ut si Salsamentarij filio dicas: Quiesce tu, cuius pater se cubito solebat emungere.

Abscissionem, ἀποσιώπησιν: Si cum incipimus aliquid dicere, praecidimus, & ex eo, quod iam diximus, satis relinquitur suspitionis, ut: Qui ista forma, & etate nuper alienae domui, nolo plura dicere.

Similitudinem, ὁμοίωσιν: quum aliqua re simili allata, nihil amplius dicimus, sed ex ea significamus, quid sentiamus, ut: Noli Saturnine nimium populi frequentia fretus esse, stulticiam nosce Gracchi.

Significatio fit per

RHETOR. CICER.

BREVITAS.

βραχυλογία.

Brevitas est res, ipsis tantummodo verbis expressa, ut: Lemnum præteriens cepit. Inde Tarsis præsidium reliquit. Post urbem in Bythinia sustulit. Inde pulsus in Hellepontum, statim potitur Abydo.

DEMONSTRATIO.

ἐπίδειξις, vel φαντασία,  
vel ἐνέργεια.

Demonstratio est, quum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, & res ante oculos afferrî videatur, ut: Pila emittunt, sese umbone contegunt, gladijs cominus certant, cædunt, inq; vicem cæduntur, sanguine diffundunt.

REDDITIO CAUSAE.

ἀιτιολογία.

Redditio causæ quæ dictorum rationem, causamq; subiungit, ut: Si postquam dixeris, pauciores id temporis mathemata sequi, causam subijcias, non posse fieri, ut ea in re sibi quisquam elaborandum putet, cui nec honorem, nec præmia satis digna constituta esse intelligit.

INCREA

COMPEN. RHE. CICE.  
INCREMENTVM.

ἄυξισις.

Incrementum est, cum grauioribus uerbis  
insurgit, increscitq; oratio, ut: Facinus est, uincire ci-  
uem Romanum: scelus, uerberare: parricidium, ne-  
care, quid dicam, in crucem tollere. ITEM: Non  
furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnato-  
rem pudicitiae, non sacrilegum, sed hostem sacrorum,  
religionumq;: non sicarium, sed crudelissimum car-  
nificem ciuium sociorumq; in uestrum iudicium addu-  
ximus.

ELEVATIO.

Διασυρμός.

Eleuatio, qua grauiora in nos allata argu-  
menta, quae diluere labor est, eleuamus, & contemni-  
mus, nihil attinere ad ea respondere, quae nihil ad rem  
facerent.

INTERCLUSIO.

παρέκθεσις.

Interclusio, vel interpositio auget orationem,  
dum continuationi sermonis medius aliquis sensus in-  
teruenit, ut Cicero in Milone: Ego cum te (mecum  
enim saepissime loquitur) patriae reddidissem. Quin-  
tilianus lib. 9. cap. 3.

F I N I S.









































18932



10996542



